MANUALE

SACRORUM RITUUM AC CAEREMONIARUM

PRO ALIQUOT PRAESTANTIORIBUS FESTIS

INFRA ANNUM OCCURRENTIBUS

EX RUBRICIS MISSALIS ET RITUALIS ROMANI
AC CAEREMONIALIS EPISCOPORUM CONCINNATUM

AD COMMODITATEM

FRATRUM MINORUM S. FRANCISCI PROVINCIAE
REFORMATAE NEAPOLIS AC TERRAE LABORIS

ADDITIS ETIAM QUIBUSDAM SPECIALITER SERVANDIS

IN MISSIS VOTIVIS.



NEAPOLI
TYPIS CAROLI LISTA'
In via Gigantium N. 21
1860

Archiepiscopalis Censura
Librorum imprimendorum
Nihil obstat. Die XIII. Decembris 1859
Joannes Gallo Presb. Neap. Censor Th.

IMPRIMATUR

Pro Deputato
Leopoldus Ruggiero
a secretis.

CONSIGLIO GENERALE
DI
PUBBLICA ISTRUZIONE

Vista la dimanda del Tipografo C. Lista con che ha chiesto di porre a stampa il libro intitolato — *Manuale sacrorum Rituum, ac Caeremoniarum pro aliquot praestantioribus Festis infra annum occurrentibus.*

Visto il parere del R. Revisore P. M. Francesco Sav. Tufani.

Si permette che la suindicata opera si stampi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso R. Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto, nel confronto essere la impressione uniforme all'originale approvato.

Napoli Gennajo 1860.

Il Segr. Gen.
GIUSEPPE PIETROCOLA

Il Consultore di Stato
Presid. Provvisorio
CAPOMAZZA

Mater Ecclesia Ritus quosdam . . . instituit. Caeremonias item adhibuit ex Apostolica disciplina, et Traditione, quo et Majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes Fidelium per haec visibilia religionis, et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur— *Ex Conc. Trid. Sess. 22. c. 5.*

Si quis dixerit Caeremonias, Vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam Officia pietatis, Anathema sit— *Ex eod. Conc. Trid. Sess. 22. c. 5. Can. 9.*

PRAEFATIO

AD LECTOREM

Cum plures Rubricae apud Calendarium nostrum aliquot infra annum diebus recenseantur, quae sacrum Officium pro merito persolvendum, Missasque celebrandas minime sufficiant: ad haec plurima menda, vel Typographorum incuria, sive alia de causa irrepserint; nos, ut omnia in Ecclesia Dei honeste fiant, et secundum ordinem, sicut monet Apostolus, (1. Cor. c. 4.) *praefatas Rubricas in unum volumen colligere, atque reformatas, emendatas, atque in ampliorem formam restitutas ad normam Missalis Rom. ac Caeremonialis Episcoporum cum omnibus novissimis S. R. C. Decretis ex Gardelliniana Collectione authentica desumptis in lucem dare curavimus. En tota hujusce Libelli ratio, quem Fratribus Calendario nostro utentibus dono damus, ut semper et ubique prae manibus habentes, ad tam insigne munus, quo vocati sunt Sacerdotes, sacra rite persolvant.*

Ceterum nihil aliud monendum restat, nisi quod placuit nobis latino sermone hoc opus exponere, ut Juvenes nostri non modo facili negotio in-

telligant Ecclesiae decreta, e quibus pendet omnis sacrae functionis apparatus; sed etiam ut assequi satagant hieraticum liturgicumque sermonem a Romana suprema Cathedra institutum.

Tandem hoc unum a te, benigne Lector, enixe peto, et quanta possum animi humilitate rogo, ut quotiescumque ad haec legenda veneris, mei quoque miserrimi peccatoris apud Deum reminiscaris.

Frater a Calendario
Provinciae Reformatae
Neapolis, ac Terrae Laboris

PARS PRIMA

DE RITIBUS, AC CAEREMONIIS SERVANDIS IN ALIQUOT PRAESTANTIORIBUS FESTIS INFRA ANNUM OCCURRENTIBUS.

CAPUT I.

DE TEMPORE ADVENTUS

Fili hominis pone cor tuum et vide oculis tuis, et auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus ejus.
Ezech. XLIV. 5.

1. Hoc tempore in Officiis et Missis de Tempore adhibetur color violaceus (1), etiam in illis Dominicis, quae infra octavam alicujus Sancti occurrunt (2). Ecclesia et Altaria simpliciori ornantur apparatu (3), absque floribus, Imaginibus, Reliquiis, ac similibus ornamentis solemnibus (4). Nec organo, aut alio instrumen-

1) R. Miss. P. I. T. XVIII. n. 5.
2) Ibid. n. 2.
3) C. Ep. L. II. c. XIII. n. 2.
4) Merati P. IV. T. I. §. III. in Gav. n. 4.

to musicali uti convenit, quemadmodum nec musica figurata, sed cantu firmo, diebus praesertim ferialibus (1). *Gloria in Excelsis*, et *Ite Missa est* omittuntur (2).

2 Diaconus et Subdiaconus loco Dalmaticae et Tunicellae, Planetis seu Casulis ante pectus plicatis in praecipuis et insignioribus dumtaxat Ecclesiis utuntur. (3) Dictam Planetam Subdiaconus, paulo ante quam Epistolam cantaturus accipiat Librum, deponit in loco congruo, adjuvante Acolytho, vel Caeremoniario in parte Epistolae; cantata autem Epistola, sola indutus Alba cum Manipulo, osculataque manu Celebrantis, et ab eodem benedictione accepta, ac reddito Libro Ministro, reassumit suam Casulam, prius quam Missale ad Cornu Evangelii deferat. (4) Diaconus similiter, antequam librum Evangeliorum accipiat, Planetam suam in eodem loco, quo Subdiaconus, dimittit, et assumit aliud genus Stolae latioris, itidem violaceae, quam super Stolam communem, adjutus ab aliquo Ministro, decenter aptat; sicque Celebranti inservit usque ad Communionem. Qua expleta, postquam detulit Missale ad cornu Epistolae, ad Credentiam pergit, ubi deposita latiori Stola, reassumit Planetam plicatam (5), quam nonnisi in Sacristia cum Manipulo di-

1) C. Ep. L. I. c. XXVIII. n. 2. et 13.
2) R. Miss. ut in pr. de Temp. Adv.
3) R. Miss. P. I. T. XIX. n. 6.
4) Ib d.
5) R. Miss. P. I. T. XIX. n.6.

mittit, antequam tamen Celebrans suas vestes deponat, prout ante Missam observatur. Tunc enim Diaconus et Subdiaconus in Albis ministrant paramenta Celebranti, et in fine capiunt Manipulos et Planetas ante pectus plicatas. (1) In minoribus autem Ecclesiis, praedictis diebus Alba tantum amicti ministrant; Subdiaconus quidem cum Manipulo, et Diaconus etiam cum Stola.

3. In Dominica tertia, dicta *Gaudete*, Diaconus et Subdiaconus utuntur Dalmatica et Tunicella (2). Paramenta Altaris Ministrorum et Célebrantis aliquanto sunt sumptuosiora, sed coloris violacei in defectu rosacei (3); inter Candelabra apponuntur vascula cum floribus (4), Organa pulsantur, sed in Missa tantum (5); et idem servatur in Dominica quarta, quando in ea incidit Vigilia Nativitatis Domini, quoad Dalmaticam et Tunicellam, quae tamen absolute debent esse coloris violacei (6).

4. Ab Adventu ad Octavam usque Epiphaniae omittuntur Sanctorum Suffragia, nec non commemoratio de Cruce (7). A die 17 De-

1) C. Ep. L. II. c. XIII. n. 7.
2) R. Miss. P. I. T. XIX. n. 6.
3) C. Ep. L. II. c. XIII. n. 11.
4) Merati P. IV. T. I. §. III. in Gav. n. 4.
5) C. Ep. L. I. c. XXVIII. n. 2.
6) C. Ep. L. II. c. XIII. n. II.
7) Quia cum (Christus) sit praemium et corona Sanctorum omnium, et sit omnia in omnibus, et sufficientia singulorum, superfluum foret recurrere ad aliorum suffragia mendicata. G. Durand. L. VI. n. 7.

cembris inclusive (1) cessant omnes octavae particulares usque ad diem Epiphaniae.

5. A Vesperis Sabbati ante Dominicam primam Adv. dicitur Antiphona *Alma Redemptoris etc* in fine Officii, cum ℣. *Angelus Domini etc.* et Oratione *Gratiam tuam etc.* Ad Primam in Resp. brevi dicitur *Qui venturus es in mundum*, etiam in festis Sanctorum, nisi proprium habuerint Versum. De feria Adventus fit semper commemoratio in utrisque Vesperis, in Laudibus, et Missa, quocumque recurrente Festo.

CAPUT II.

DE VIGILIA NATIVITATIS DOMINI

Seu de Ritu Martyrologium solemniter decantandi.

6. Dum Prima in Choro dicitur, Vicarius, vel alius Pluviali violaceo (2) super Cottam induitur; et cum dicitur Capitulum praeeuntibus Thuriferario cum Thuribulo et Navicula, Ceroferariis cum Candelabris et Cereis accensis, nec non Caeremoniario, si adsit, e Sacrario tecto capite, et manibus junctis procedit ad Legile panno violaceo contectum, in medio Chori, vel ante Altare praeparatum, ubi, facta ab eo et a Ministris debita reverentia, imponit ac be-

1) Intellige post Nonam diei praecedentis.

2) S. R. C. d. 22. Mart. 1817 in Tuden. Gard. Ed. 3. n. 4526 et 4527. ad 8.

nedicit thus de more, eoque ter incensat Martyrologium. Caeremoniarius, vel eo absente, Thuriferarius Naviculam et Thuribulum cum osculo more solito ministrans, dicit *Benedicite*, *Pater Reverende*, et fimbriam Pluvialis a dextris elevat, recedens inde post Sacerdotem. Ceroferarii autem stant hinc inde a lateribus Lectoris, facie ad invicem conversa.

7. Dicto in Choro *Deo gratias* post orationem *Domine Deus omnipotens* . . . et omnibus nudo capite adstantibus, Sacerdos, quin seipsum vel Librum signet, absolute cantat Martyrologium manibus junctis eo tono et flexione vocis, quae ibidem notatur, incipiens *Octavo Kalendas Januarii Luna N.* Ad verba autem *In Bethlehem Judae*. . . elevat vocem, statimque omnes, praeter ipsum Cantorem et Ceroferarios, genua flectunt, postea altiori ac solemniori tono, qui dicitur Passionis (1) subdit *Nativitas D. N. J. C. secundum carnem*. Quo prolato, ipse etiam Lector genuflectit: deinde prosequitur lectionem tono Martyrologii vel ipse Cantor, vel alius Lector secundum consuetudinem locorum.

8. His peractis, debitam Altari et Choro reverentiam exhibent, eodemque ordine quo venerant, in Sacrarium se conferunt Paramenta dimissuri: in Choro autem adstantes, ad reliquam lectionem, quam Lector more solito cantat, aut legit, tecto capite consident.

9. Missa hujus Vigiliae solemniter cantatur post Nonam in Paramentis violaceis cum Dal-

1) Martyrol. Rom. R. ut in die.

matica et Tunicella. Organa possunt adhiberi: ad Orationem Chorus non genuflectit, nec post Elevationem (1), ideoque nec intortitia ultra Elevationem ardent. Sine *Gl. et Cr.* unica tant. *Or. Praef. Communis*, et in fine *Benedicamus Dom.* cum Ev. *S. Joannis*. Occurrente vero dicta Vigilia in Dominica quarta Adventus, Missa quidem dicitur de Vigilia, sed post Tertiam et Aspersionem lustralis Aquae, cum Commemoratione ejusdem Dominicae absque 3. or., dicitur *Credo*, sine *Gloria*, *Praef. de Trinitate*, et in fine *Bened. Dom.* cum Ev. *S. Joannis*, non vero Dominicae. Ministri utuntur Dalmatica et Tunicella violaceis, cum Missa non de Dominica, sed de Vigilia Nativitatis sit, in qua Planetae plicatae non adhibentur.

10. Prohibentur hodie et deinceps, ad Octavam usque Epiphaniae, Missae votivae et de *Requiem*. Cantata Missa, terminatur tempus Adventus, et in Officio cessat ℣. *Angelus Domini* cum Oratione *Gratiam tuam*, cui ad Vesperas substituitur ℣. *Post Partum* cum Oratione *Deus, qui salutis* usque ad secundas Vesp. Purificationis B. M. V. inclusive, etiamsi celebraretur cum Octava.

1) R. Miss. P. I. T. XVII. n. 5.

CAPUT III.

DE NATALI DOMINI.

11. Vespertinas matutinasque Preces solemni ritu celebrat Superior. Hoc tamen singulare observandum erit. Primo Celebrans hymnum *Jesu Redemptor omnium* intonaturus elevat et jungit manus, caput versus Altare inclinans ob reverentiam Incarnationis Dominicae (1). Matutini tempus ita metiatur; ut nonnisi dato jam mediae noctis signo terminetur: ut Sacrum celebrari possit. Ultra consueta Altaris et Abaci luminaria, Presbyterium et Chorus, Ecclesia, ejusque praecipue latibula sufficienter illuminentur: nec Sacristam, aliosque Ecclesiarum Custodes pigeat vigilias identidem obire, ne quid inhonesti fiat in Aula Sancta Dei (2).

1) Caer. Ep. L. II. c. XIV. n. 5.
Etsi apud nos usus invaluit genuflectendi ad stropham: *Et nos beata* ... hujus hymni; et similiter ad illam: *O Salutaris Hostia* ... juxta tamen accuratiores Expositores S. R. liturgicarum omittitur haec genuflexio. Etenim nulla expressa fit mentio in Rub. Brev. *et* Caerem. Ep. nec in Decreto d.19 Sept.1665. quod sic declaravit: Debent omnes genuflectere in recitando Officio in Choro in verbis: *Venite adoremus, et procidamus ante Deum; Te ergo quaesumus tuis famulis subveni; Ave Maris Stella; Veni Creator Spiritus; Tantum ergo Sacramentum; O Crux Ave, et aliis similibus.* Gard.(Ed. 3.) n. 2345 ad 14 in Nullius Treviren.

2) Hoc et intellige in omnibus functionibus, quae fiunt ante auroram.

12. Hymno *Te Deum* expleto, Celebrans medius inter Assistentes et Ceroferarios cantat: *Dominus vobiscum* et Orationem *Concede*. Deinde dicto a Cantoribus ℣. *Benedicamus* sub tono B. M. V. et responso: *De gratias*, mox factis debitis reverentiis, quin ℣. *Fidelium Animae* subdat, in Sacristiam, ut prius, redit, ubi Paramenta Missalia sumit. Chorus interim sedet, et Organa festive tinniunt.

13. Si vero adsit consuetudo faciendi Processionem cum Imagine Pueri Jesu, tunc consule ordinem Processionis in Purificatione B. M. V. 2. februarii, c. V. pag. 25. n. 41. mutatis tamen mutandis.

14. In hac et in aliis duabus Missis, prout etiam in Festo Annuntiationis (vel in die translationis, quando dies propria est impedita ex S. R. C. decr. d. 25 Sept. 1706 *Urbis et Orbis* Gard. (Ed. 3.) n. 3754 ad 17) genua flectant universi, caputque inclinent dum a Choro cantatur *Et incarnatus est* . . . etiamsi Celebrans in suo sedeat scamno, accedat ad Altare, et genuflectat cum Ministris ob reverentiam tanti Mysterii (1).

15. In prima et secunda Missa Sacerdos, hausto diligentius Sanguine, ministrante Subdiacono, abluit aqua, vel vino, aut utroque digitos, quibus Sacramentum tetigit, non in Calice, sed in alio vase mundo vitreo vel argenteo, vel alia materia, dicens interim: *Quod ore ... Corpus*

1) Rub. Miss. R. P. I. T. XVII. n. 3.

tuum Domine. Tum abstersis Purificatorio digitis, praedictum vas Palla coopertum, prope Corporale una cum Purificatorio collocatur.

16. Subdiaconus Calicem minime extergit, sed superposito Purificatorio, ita tamen ut non tangat labium anterius per quod Sacerdos hausit Sanguinem, ac deinde Patena cum palla, velo et bursa, illum defert ad Credentiam, supposita alia Palla, ex qua post Missam per Subdiaconum ad Sacristiam defertur, ubi super Corporale, et in loco decenti et clauso asservatur usque ad secundam Missam.

17. Quoad Missas privatas, ipse Celebrans ablutis post Communionem digitis in vase mundo, quin purificationem sumat, vel Calicem extergat, super eum Purificatorium modo superius expresso ponit, deinde Patenam, Hostiam, ac tandem Pallam, et Velum ut initio Missae explicatum, relictis in eorum loco Bursa et Corporali. Expleto ultimo Evangelio primae aut secundae Missae, ad medium Altaris statim se recipit, et facta Cruci reverentia, Missale aperturus pergit, rediens inde ad medium Altaris; ubi repetita Cruci inclinatione, in planum descendit, atque secundam, vel tertiam incipit Missam.

18. Tres Missas successive, vel interpolate hodie celebrare cum privilegii sit, non praecepti, potest Sacerdos justa de causa, atque secluso scandalo, unicum facere Sacrum, et quidem tertiam Missam legere, cujus Oratio cum Offi-

cio concordat (1) non omisso in fine Evangelio Epiphaniae.

Sequuntur aliqua Decreta super eadem functione.

19. In nocte Nativitatis Domini post cantatam primam Missam media nocte, nullo modo possunt aliae duae immediate celebrari, nec Fideles communicari. S. R. C. d. 20 Aprilis, 1641. Pisauren. Gard. (Ed.3.) n. 1319. et d. 7. Dec. 1641 Gard. (Ed.3.) n. 1360 et d. 15 Sept. 1668. Januen. Gard. (Ed.3.) n. 2451 ad 11.

20. In Natali Domini in tribus Missis post sumptionem Sanguinis, eundo et redeundo in medio Altaris non est facienda genuflexio: vertendo se Celebrans ad *Dominus vobiscum*, et ad dandam benedictionem, debet renes vertere ad Altare, licet species vini non sint exsiccatae in Calice, et serventur Rubricae Missalis de Ritibus servandis in Celebratione Missarum XI et XII. num. 2. S. R. C. d. 20. Jul. 1686. Angelopolitana Gard. (Ed.3.) n. 3120 ad 9.

21. Durante tempore nocturno, non possunt excipi in Ecclesia Confessiones mulierum, sed expectandum est, ut illucescat Aurora tam pro confessionibus mulierum excipiendis, quam pro Eucharistia ministranda fidelibus utrius-

1) Gavant. P. IV. T. III. n. 6.

que sexus. S. R. C. d. 23 Mart. 1686: Senen Gard. (Ed. 3.) 31 n.05 ad 2. (1).

22. Sacerdotes parati assistentes in Matutino noctis Nativitatis Domini nequeunt adhibere stolam Diaconalem, vel a collo pendentem, vel in modum Crucis ante pectus, *juxta decret.gen. d. 7. Sept. 1816. Gard. (Ed.3.)n. 4524.Et juxta Caeremoniale Episcoporum.*Subdiaconus abstineat a cantando Evangelio cum lectione. S. R. C. d.7. *Aprilis 1832.* Ariminen. G. (Ed.3.)n.4681. ad 1.

23. Matutinum Nativitatis Dominicae dicatur summo mane, si adsit impedimentum canendi prope mediam noctem. S R.C.d. 3.Aprilis 1830. Gerunden. Gard. (Ed. 3.) n. 4656.

CAPUT IV.

DE EPIPHANIA DOMINI.

24. Superiorem in die solemni Epiphaniae Sacris operari decet, sumptis sibi Assistentibus Pluviali indutis. Matutinum absolute incipit cum signo Crucis ab Antiphona: *Afferte Domino,* secreto prius absolutis: *Pater noster, Ave, et Credo.* Cantores in medio Chori consistentes decantant Psalmum tertii Nocturni *Venite exultemus,* Choro semper Antiphonam repetente. In 7.℟.ad ea verba: *Et procidentes adoraverunt eum* non genuflectitur, sed caput dumtaxat discoo-

1) Hoc et intellige omni anni tempore tam ante Auroram, quam post solis occasum.

pertum inclinatur ad nomen *Maria* de more. In Evangelio autem Missae genuflectant omnes, exceptis Ceroferariis.

25. Infra hanc octavam, non vero in die octavae fit tantum de festo primae classis, nempe Titularis, et Patroni principalis, ac Dedicationis Ecclesiae. S. R. C. d. 20 Nov. 1660. Asculana in Apulia. Gard. (Ed. 3.) n. 2080.

CAPUT V.

DE FESTO PURIFICATIONIS, SACRAQUE ACTIONE IN EO PERAGENDA.

26. Opportune primum in plano prope cornu Epistolae disponitur Mensa linteo mundo tecta, ac super eam Candelae cerae albae numero et pondere decenti; ita tamen, ut illa Celebrantis et Superioris, Generalis ministri praesertim, si adsit praesens, Provincialis, ac Guardiani Conventus, nedum caeteris major sit, verum et affabré ornata depictaque, si fieri possit: reliquae autem majores et minores collocentur pro qualitate personarum. Praedictae Candelae velo violaceo operiantur ad initium usque Benedictionis. Ibidem, vel Abaco consueto collocantur, ultra necessaria pro Missa solemni, Vas Aquae lustralis cum Aspersorio, Thuribulum cum Navicula incensi, aliud Vas cum mica panis, ac tandem Bacile cum Pelvi et Manutergio ad lavandas extergendasque manus Celebrantis post distributionem Candelarum.

27. Paratur item congruo loco Crux processionalis cum Flamine violaceo eidem appenso. Circa finem Tertiae sex accenduntur Cerei super Altare, cujus frons Pallio obducitur violaceo. In eodem Altari a parte Epistolae apponitur Missale apertum. In Sacrario denique suis aptantur locis Cottae et Candelabra cum Cereis pro Acolythis: pro Celebrante vero et sacris Ministris Amictus, Albae, Cingula, Stolae sine Manipulis, Pluviale, et in insignioribus Ecclesiis Planetae ante pectus complicatae coloris violacei. Sed pro celebratione Missae praeparantur indumenta congrua Festo. Dalmatica semper et Tunicella, etiamsi de Dominica Septuagesimae Sacrum peragatur.

28. Dum in Choro canitur Tertia, eorum duo, qui Diaconi et Subdiaconi munere sunt perfuncturi, sumptis antea praedictis Paramentis usque ad Planetas exclusive, Superiorem, vel alium ex dignioribus rem divinam acturum debitis induunt vestibus, ac deinde Planetas suas sine Manipulis suis accipiunt (1).

29. Completa Tertia, ad Altare, praevia Cruci Sacristiae ac sibi invicem reverentia, nudo capite, hoc ordine procedant. Praecedat Thuriferarius sine Thuribulo, sed manibus junctis; succedant Ceroferarii duo Candelabra cum Cereis ardentibus prae manibus gerentes; inde Caeremoniarius, omnes cum Cottis et detecto capite. Sequitur Celebrans manibus junctis me-

1) C. Ep. L. II. c. XIII. n. 3.

dius inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris cooperto capite, Pluvialis illius fimbrias anteriores manu proximiori elevantes, altera infra pectus admota.

30. Ubi ad Altare pervenerint inferiores Ministri, post genuflexionem recte pergunt ad Abacum, ibique Candelabris dimissis, hinc inde consistunt. Celebrans autem et sacri Ministri retroactis Caputiis, aptatisque super humeros a Caeremoniario, Altare cum genuflexione salutant, Celebrans vero profunda capitis inclinatione. Tum ad Altare conscendant (1) quod dum in medio solus osculatur Celebrans, Ministri genuflectunt; ac deinde ad cornu Epistolae se recipiunt, ubi Sacerdos medius inter ipsos, stantes quasi illi pares in recta linea, atque parumper ad Candelas a Caeremoniario jam detectas conversus, incipit in Tono feriali *Dominus vobiscum,* quin ad populum vertat se, vel manus extendat; et sic prosequitur Orationes prout in Missali, caput inclinando versus Crucem ad *Oremus*, et Nomen *Jesu.* Dum autem dextera benedicit Candelas, sinistram super Altare ponit, et interim Diaconus oram Pluvialis a parte sua elevat. In Choro, dum fit Cereorum Benedictio stant omnes versus Altare, nudo capite, inclinantes se, et respondentes Celebranti, cum opus est.

31. Finitis Orationibus, Celebrans in eodem cornu Epistolae Thus imponit in Thuribulum,

1) Ni dies Dominica occurrat, in qua prius de more peragenda est aspersio Aquae lustralis.

ac de more benedicit, ministrante Diacono Naviculam cum solitis osculis, et Thuriferario Thuribulum, Subdiacono vero fimbriam Pluvialis ejus dextera elevante. Mox sumit ab eodem Diacono Aspersorium cum debitis osculis, et Candelas ter aspergit, in medio scilicet, a dextris, et a sinistris earum, dicens interim Antiphonam *Asperges me* . . . sine cantu et sine Psalmo, et inde pari modo Thurificat.

32. Quo facto, Acolythi Vas aquae benedictae cum Thuribulo in locis suis reponunt, et Celebrans cum suis Ministris ad medium Altaris se recipit; ubi exhibita Cruci inclinatione, renes eidem vertit, statque medius inter Diaconum, qui a sinistris, Candelas ab Acolytho acceptas, singulas cum osculo tradit Celebranti distribuendas, et Subdiaconum, qui a dextris ejus Pluviale sustinet.

33. Interim Caeremoniarius debitis cum inclinationibus Digniorem de Choro invitat, qui ipso Caeremoniario a sinistris comite, ad Altare, facta prius inclinatione Choro, accedit. Tum post debitam Altari et Celebranti reverentiam, gradum suppedaneo viciniorem ascendit; ibique sumpto sine osculis de manu Diaconi Cereo pulchriori, eumdem cum osculo ipsius tantum non manus, tradit Celebranti stanti ut prius in eodem loco, qui pariter ipso Cereo deosculato, alicui Acolytho tenendum committit.

34. Celebrans inde acceptam a Diacono Candelam, eidem Digniori genuflexo porrigit, quam ipse una cum manu Celebrantis reverenter o-

sculatur; ac postea ad sedem suam comitatus redit, peractis antea Altari, Celebranti et Choro reverentiis. Quod si dignior ille Praelatus fuerit, Minister Generalis praesertim, ac Provincialis, aut Guardianus in loco suae jurisdictionis, tamquam Praelatus inferior, tunc sola inclinatione Altare salutat, ac stans Cereum accipit cum osculo ipsius tantum, et non manus.

35. Tunc Cantores incipiunt Antiphonam *lumen ad revelationem*, quam Chorus prosequitur, atque post singulos versus Cantici *Nunc dimittis* . . . integre repetit; quos Versus Cantores ipsi decantant soli, et possunt repeti cum praedicta Antiphona ad finem usque distributionis. ℣ tamen *Gloria Patri* semel tantum dicitur in fine Cantici, et completa distributione Candelarum.

36. Tradita Digniori de Choro Candela, mox suas sacri Ministri accipiunt genuflexi etiam cum osculo manus; ita tamen, ut Subdiaconus tunc sit a sinistris Diaconi. Surgunt inde, et cum debitis reverentiis ad pristina revertuntur loca, ubi Candelis in manu alicujus Acolythi depositis, Celebranti ministrant. Accedunt denique alii, bini et bini, seniores primum, deinde juniores, et facta genuflexione Altari, Celebranti vero inclinatione, genuflexi in Suppedaneo Candelas accipiunt cum osculo earum et manus; ac deinde stallum Chorale cum debitis reverentiis petunt.

37. Facta distributione Religiosis, Celebrans cum suis Ministris, si pro Ecclesiae more Lai-

cis saecularibus etiam distribuendae sint Candelae, descendit ad cancellos Presbyterii; ibique munus suum pari disciplina exequitur, quin tamen Foeminis osculum manus permittat, ratione decentiae. (1) Si autem tanta sit confluentis populi multitudo, ut distributio tota fieri nequeat a Celebrante, deputetur aliquis Sacerdos, qui superpelliceo et Stola violacea indutus Candelas minores Populo utriusque sexus alibi distribuat (2). Acolytho cum osculo ad singulas Candelas Sacerdoti offerente, ut dictum est de Diacono ministrante Celebranti.

38. Completa distributione, Cantores intonant Antiphonam *Exurge Domine*, quam Chorus lente prosequitur et repetit, et interim Celebrans stans super Suppedaneum in cornu Epistolae lavat manus, ac etiam cum medulla panis tergit, Diacono et Subdiacono aquam et manutergium ministrantibus, ut in Missa defunctorum. Si Celebrans Candelas ad cancellos distribuerit; recto tramite ad Credentiam pergit, ubi manus, ut supra, lavat: quibus lotis, ascendit ad cornu Epistolae, ibique dicto *Exurge Domine* submissa voce, ac repetito eodem a Cantoribus, immediate subdit cum capitis inclinatione et manibus junctis *Oremus. Exaudi quaesumus...* assistentibus ei hinc inde sacris Ministris, ut in principio. Si autem fuerit post Septuagesimam,

1) Bauldry. P. IV. c. III. A. II. n. XXIV. Mer. P. IV. Tit. XIV. r. 7. §. II. n. XIII. Memor. Rit. Ord. Cappucc. Tit. VII. c. II. §. II. n. 11. *Sicubi*
2) C. Ep. L. II. c. XVI. n. 12.

et extra Dominicam, Diaconus a tergo Celebrantis stans ante Orationem genuflexus Cantat *Flectamus genua*, et omnes genuflectunt, excepto Celebrante; Subdiaconus vero dicit *Levate*, et omnes surgunt: tum Celebrans cantat Orationem, stantibus Ministris, ut supra.

39. Post Orationem Celebrans redit ad medium Altaris, ubi ut supra, imponit et benedicit incensum, et interim omnes accenduntur Candelae, nisi a principio fuissent accensae, atque per Caeremoniarium sic ordinatur Processio. Idem Subdiaconus, et non alter, eadem Planeta plicata ut prius sine Manipulo, genuflexione Altari facta, atque Processionali Cruce sumpta, medius inter Ceroferarios Candelabra cum Candelis accensis deferentes, accedit ad cancellos, seu aditum Presbyterii, praecedente Thuriferario cum Thuribulo fumigante, ibique sistit se contra Altare, Thuriferarius vero ante eum, donec Religiosi e Choro exeuntes hinc inde fuerint ordinati.

40. Quo facto, Diaconus Cereum Celebrantis de manu Acolythi accipit, quem eidem cum solitis osculis praebet. Tum sua recepta Candela, genuflectit, surgit, stansque versus populum a tergo Celebrantis, alta et sonora voce cantat *Procedamus in pace*, cui Chorus circumstans respondet *In Nomine Christi, Amen*. Et continuo Celebrans, exhibita Cruci inclinatione capitis, in planum cum Diacono descendit, ubi repetita Altari debita reverentia, caput operit, et ad Processionem sic incedentem se convertit.

41. Omnium primus graviter et devote graditur Thuriferarius Thuribulum fumigans dextera gerens, sinistra vero Naviculam. Sequitur postea Subdiaconus medius inter Ceroferarios cum Cruce, et Crucifixi effigies populum respiciat. Subinde Religiosi bini et bini in gradu suo cum Candelis accensis in manu extima, et capite detecto. (1) Ultimus omnium incedit Celebrans cum Diacono a sinistris, qui tamen Pluvialis ejus fimbriam non elevat, et procedunt capite tecto deferentes ambo Candelam suam, cantantes Antiphonas sequentes juxta tonum in Rit. Rom. notatum Tit. de Process. in Festo Purificationis B. M. V.

Adorna thalamum tuum, Sion, * et suscipe Regem Christum:
Amplectere Mariam, * quae est caelestis porta:
Ipsa enim portat * Regem gloriae novi luminis:
Subsistit virgo, adducens manibus Filium * ante luciferum genitum:
Quem accipiens Simeon in ulnas suas, praedicavit populis * Dominum eum esse vitae et mortis, et Salvatorem mundi.

Alia Ana. Lucae 2.

Responsum accepit Simeon a Spiritu Sancto, * non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini:

1) Si vero Processio progrediatur extra Ecclesiam, tunc cooperiuntur, dum extra illam sunt. Bauldr. P. IV. c. III. n. 3.

Et cum inducerent puerum in templum, * accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit:
Nunc dimittis servum tuum, Domine, * in pace.
℣. Cum inducerent puerum Jesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo: * ipse accepit eum in ulnas suas.

Et ingrediendo Ecclesiam, cantatur ℟.

Obtulerunt Domino * par turturum, aut duos pullos columbarum:
Sicut scriptum est * in lege Domini.
℣. Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae, * secundum legem Moysi,
Tulerunt Jesum in Jerusalem, * ut sisterent eum Domino.
Sicut scriptum est * in lege Domini.
℣. Gloria Patri, et Filio, * et Spiritui Sancto.
Sicut scriptum est * in lege Domini.

42. Dum fit Processio, removetur Pallium violaceum Altaris, et apponitur album, nisi Missa de Dominica Septuagesimae, Sexagesimae, vel Quinquagesimae sit celebranda.

43. Supplicatione expleta, Chorum universi, Altare salutando, adeunt, et Candelas extinguunt. Parati vero vel in Sacrarium, vel ad Abacum se conferunt, ubi dimissis Cruce, Cereis, et Paramentis violaceis, alba pro celebratione Missae induunt, quam ille idem, et non alius, qui

benedixit Candelas decantat more solito.S.R.C.d. 15 Sept. 1640 *Civitatis Castellanae*.Gard.(Ed. 3.) n. 1264. Hoc habito discrimine, quod Celebrans, dum cantatur Evangelium a Diacono, et caeteri omnes de Choro, exceptis Ministris Altaris, accensas tenent suas Candelas in manibus; quod hi ultimi etiam faciunt ad elevationem SS. Sacramenti usque ad completam Communionem cum Sacerdotis, tum aliorum, si adsint. Verum, facta elevatione, assurgunt, et Acolythi Intortitia sua de more extinguunt, nisi qui sint communicandi.

44. Si Purificatio venerit in Dominica Septuagesimae, Sexagesimae, vel Quinquagesimae: aut in ea occurrerit Festum aliquod primae classis; fit tantum Benedictio, Distributio, et Processio Candelarum, ut supra. Missa vero dicitur vel de Dominica in Paramentis violaceis cum Dalmatica et Tunicella, vel de Festo praedicto cum indumentis convenientibus. Candelae autem tenentur in manibus accensae dum legitur Evangelium, et iterum ad elevationem Sacramenti usque ad Communionem, (1) si Missa erit de B. Maria V. (2) Si vero Missa fieret de Dominica, Candelae non accenduntur. (3) Item si erit de Titulari ex praxi Ecclesiarum Urbis, neque accenduntur Candelae (4).

1) Rub. Miss. R. ut in die.

2) Gav. in Rub. Miss. P. IV. T. XIV. rubr. 7. n. 10.

3) Rub. Miss. Ibid.

4) Corsetto. Tr. I. P. II. c. 12. n. 11.

Sequuntur aliqua decreta super hac sacra functione.

45. Ille idem qui benedicit Candelas in Festo Purificationis, vel Cineres prima die Quadragesimae, aut Ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare Missam sequentem. S. R. C. d. 15 Sept. 1640. *Civit. Castell.*Gard. (Ed. 3.) n. 1264.

46. Benedictio Candelarum, Cinerum, et Palmarum, et aliae similes actiones, quas faceret Superior praesens, eo absente, vel impedito, ad Digniorem, non vero ad Hebdomadarium pertinent. S. R. C. d. 21 Mart. 1609. Pisauren. Gard. (Ed. 3) n. 406—S. R. C. d. 25. Jun. 1611. Civitanen. Gard. (Ed. 3) n. 440— S. R. C. d. 7. Octob. 1645 Baren. Gard. (Ed.3) n. 1546 ad 1.

47. In Processionibus Candelarum, Palmarum, et similium, quae fiunt per Ecclesias sine SS. Sacramento non est pulsanda Campanula ad elevationem Hostiae et Calicis in Missa privata. Quod si pulsetur et advertatur elevatio, tunc genuflectendum est utroque genu a transeuntibus ante Altare, ubi Missa celebratur, et deposita S. Hostia, progrediendum est, Similiter si alii transeant in elevatione Calicis. S. R. C. die 1. Mart. 1681. Ord. Can. Reg. Lator. Gard. (Ed.3.) n. 2943 ad 9.

48. In fine Completorii Purificationis B M. V. dicitur Antiphona *Ave Regina Coelorum* ... cum ℣. et oratione assignata usque ad Com-

pletorium fer. 4. maj. Hebdomadae inclusive. S. R. C. d. 11. Jan. 1681 Urbis et Orbis Gar. (Ed. 3) n. 2938— S. R. C. d. 10. Jan. 1693. Galliar Gard. (Ed. 3) n. 3301 ad 6.

49. Utrum Antiphona B. M. V. *Ave Regina Coelorum* semper dici debeat die 2. Febr. etiamsi Festum Purificationis transferatur, vel habeat Octavam? et ad utrumque responsum fuit affirmative juxta Decr. S. R. C. d. 11. Jan. 1681. supra relatum.

50. Quando Festum Purificationis occurrit in aliqua Dominica secundae classis, nisi sit Titulus Ecclesiae, ejus Officium transferendum in Feriam secundam immediate sequentem tamquam diem propriam, quamvis impeditam, translato ab ea quocumque alio Festo, ne continuatio Mysterii Dominicae Incarnationis diu protrahatur S. R. C. d. 7. Maji 1746. Varsarien. Gard. (Ed. 3.) num. 4181 ad 1. dummodo non sit altioris Ritus. Hoc etiam pro Festo Annuntiationis. Eadem S. R. C. d. 20. Jul. 1748 Urbis et Orbis Gard. (Ed. 3.) n 4197.

51. S. R. C. interrogata fuit: An Cantores in Processionibus in medio procedere debeant, ut ab omnibus audiantur?

Eadem S. C. respondit. Juxta praxim Urbis, Cantores superpelliceo indutos incedere debere immediate post Crucem, et in Processionibus longioribus inter medium Clerum. sed ita ut ipsi dividant Corpus aliquod. *Die 2. Aug. 1854 in una dubior ad 75m.*

CAPUT VI.

DE DOMINICIS SEPTUAGESIMAE, SEXAGESIMAE, AC QUINQUAGESIMAE.

52. In Dominicis Septuag. Sexag. et Quinquag. deponit quidem Ecclesia vestimenta jucunditatis, et Cantica laetitiae: non dum tamen utitur Planetis plicatis, nec ab Aris flores amovet, nec Organorum prohibet sonum.

53. In fine Vesperarum sabbati ante Dom. Septuag. ad ℣. *Benedicamus Domino* bis additur *Alleluja*, et responso a Choro *Deo gratias*, repetitur bis *Alleluja*. et amplius non dicitur usque ad Missam sabbati Sancti exclusive; sed ejus loco dicitur *Laus tibi Domine* . . . quod licet idem omnino exprimit. quod *Alleluja*, nihilominus in signo moestitiae, (ut observat Alcuinus) latina lingua pronuntiat, quae hebraica inferior est et humilior *ex Decr. Alex. II.* Ideoque in Missis omnibus etiam Sanctorum post *Graduale*, dicitur *Tractus*; et quando non assignatur de proprio, desumitur ex communi. In Officio hujus Dom. Septuag. usque ad Dom. Palmarum inclusive loco hymni *Te Deum* . . . dicitur 9 ℟. et ad Primam loco Psalmi *Confitemini*, dicitur *Dominus regnavit* . . . cum Symbolo *Quicumque* . . .

54. Si Dominica Septuag. venerit ante festum, vel ipsa die Purificationis B. M. V. secreta de

S. Maria erit *Tua Domine*, ut in ejusdem Missa votiva.

CAPUT VII.

DE FERIA QUARTA CINERUM (1)

53. Omissis brevitatis causa, quae Candelarum, et huic Cinerum Benedictioni, ac distributioni sunt communia, de quibus in capite V. prolixior sermo est habitus, paratur Altare simpliciter cum sex Candelabris, absque floribus, aliisve ornamentis festivis, cujus frons Pallio tegitur violaceo. Vas apponitur inter Missale et cornu Epistolae cum Cineribus mundis et aridis, confectis ex ramis Palmarum, seu Olivarum, aliarumve arborum praecedenti anno in Dominica Palmarum benedictis. Abaco tandem superponitur Vas Aquae benedictae, Thuribulum cum navicula, Pelvicula cum medulla panis, Bucali et Manutergio pro lotione et extersione manuum Celebrantis.

1) Dicitur Feria 4 Cinerum, ut nostra calamitas nobis ad memoriam revocetur, et meminerimus quia pulvis sumus, quod oblitus fuerat Pater noster Adamus, quando projecit ante Deum coronam suam, et exinde sensit nuditatem suam, idcirco et cinere capita nostra aspergimus confitentes, quia non Dii, neque de Coelo sumus, sed homines, et de terra principium habuimus, et quia per peccatum gloria nostra spoliati, et inter hostes mundi constituti ornatu gratiae Dei indigemus. *De Vert de Caerem. Eccl. Tom. I. Fol.* 199.

56. Dicta in Choro Nona Superior, vel eo impedito aut absente, dignior ex Coenobitis Pluviali violaceo super Stolam et Albam indutus, tecto capite ad Altare procedit, medius inter Diaconum et Subdiaconum, Planetis plicatis concoloribus sine Manipulis paratos, praecedentibus Thuriferario sine thuribulo, duobus Acolythis cum Candelabris accensis, et Caeremoniario, nudo capite.

57. Celebrans, osculato Altari in medio, accedit ad Missale in cornu Epistolae, ubi stans inter utrumque Ministrum submissa voce, et manibus junctis legit Antiphonam *Exaudi Domine*, quae interim a Choro cantatur ad modum Introitus Missae. Qua expleta, sacros Cineres benedicit, aspergit, et thurificat, prout de Candelis dictum est. Deinde recipit se ad medium Altaris, ibique stans nudo capite, conversus ad populum, medius inter Diaconum a dextris sustinentem vas Cinerum, et Subdiaconum a sinistris, capite inclinato, manibusque conjunctis sacros Cineres accipit a Digniori de Clero dicente *Memento homo, quia pulvis es* ... quem Caeremoniarius a sinistris ducit ad Altare, et reducit.

58. Mox Celebrans stans, ut prius, benedictos Cineres pollice et indice e Vase sumit, deinde supra caput illius dignioris Sacerdotis genuflexi, vel stantis, si fuerit Praelatus, capite tamen inclinato, et manibus junctis, imponit, formando signum Crucis, et dicens *Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Et interim cantatur in Choro Antiphona *Immutе-*

mur habitu cum sequentibus. (1) Succedunt inde cum debitis reverentiis et maxima humilitate Ministri Altaris, ac Religiosi per ordinem, et genibus flexis super suppedaneum, manibus junctis, atque capite inclinato Cineres a Celebrante absque osculo manus accipiunt.

59. Datis Cineribus Clero ad Altare, descendit Celebrans cum suis Ministris ad Cancellos, ubi Laicis utriusque sexus genuflexis sacros Cineres imponit super caput, singulis repetens *Memento homo* . . . in masculino genere, licet faeminis distribuat, et his non supra velum, sed super capillos, prout etiam viris, qui caesarie ficta utuntur, non super ipsam imponit, sed super proprios crines.

60. Completa Cinerum impositione, Celebrans lavat manus privatе ad latus Epistolae, vel prope Credentiam in plano. Quibus lotis et extersis, ascendit per laterales gradus ad cornu Epistolae super Suppedaneum; ibique stans versus Altare manibus junctis medius inter sacros Ministros cantat in tono feriali *Dominus vobiscum*, et Orationem *Concede nobis* . . . ut in Missali. Deinde descendit in planum ad partem Epistolae ante Altare, ubi deposito Pluviali, Manipulum et Planetam sumit sicut et Ministri suos Manipulos. Tum accedit ad medium ante infimum Altaris gradum, ibique facta debita reverentia Altari, incipit Missam more solito, in cujus tamen decursu haec peculiaria servantur.

1) Lege Annotat. in Dom. Palmar. pag. 45.

61. Incensatur Altare et Chorus more solito. Patena tenetur per Subdiaconum, et Pax datur. Genuflectunt omnes, exceptis dumtaxat Celebrante Diacono et Subdiacono, et qui actu cantant, ad Confessionem cum suo Psalmo, ad orationes, et dicto per Celebrantem *Sanctus* usque ad *Pax Domini* exclusive, et ad Orationes post Communionem, et super Populum. Acolythi pari ritu genuflectunt ad Altare, et Intortitia tenent accensa usque ad Communionem utriusque speciei. Diaconus et Subdiaconus Evangelium et Epistolam respective cantaturi, deponunt ac resumunt Planetam, prout in cap. 1. dictum est. Dum Celebrans privatè legit ℣. *Adjuva nos*, unicum tantum genu flectit; sed dum cantatur iste ℣. a Choro, genua flectunt omnes usque ad finem, exceptis Cantoribus et prius quam inchoatur, Celebrans et Ministri sacri descendunt ad secundum Altaris gradum, et ibi in medio Suppedanei procumbunt. Quo versu dicto, et non prius, assurgunt et Altare conscendunt: Diaconus vero deposita Planeta ad cornu Epistolae, et sumpta latiori Stola Thus ministrat, dicit *Munda cor meum*, aliaque de more peragit. Dicta a Celebrante ultima Oratione post Communionem, ac subinde *Oremus*, idem Diaconus adhuc stans in cornu Epistolae post Celebrantem, vertit se ad populum per latus suum dexterum, quin genuflexionem praemittat, et ita conversus cantat manibus junctis, secundum tonum Directorii Chori: *Humiliate capita vestra Deo.* Quo dicto,

omnibus genuflexis manentibus, et capita inclinantibus, praeter Celebrantem et Subdiaconum, per eamdem viam vertit se ad Altare, et ibi stat a tergo Celebrantis, qui immediate Orationem subjungit extensis manibus. Dicitur Praefatio: *Qui corporali jejunio* . . . usque ad Dominicam Passionis exclusive, etiam in Festis Sanctorum, et in Missis votivis, propriam non habentibus; et in fine dicitur *Benedicamus Domino*, sine *Gloria*, et *Credo*. A Choro cantatur cantu Gregoriano absque Organo *Introitus*, *Kyrie eleison*, *Graduale cum Tractu*, *Offertorium*, *Sanctus*, *Agnus Dei*, *Postcommunio*.

Sequuntur aliqua Decreta super hac sacra functione.

62. Cum fideles universi ut plurimum interesse non valeant solemni Benedictioni, et distributioni Cinerum, quae fit post Nonam; idcirco possunt summo mane ab aliquo Sacerdote Cotta et Stola violacea induto aliqui Cineres private benedici, qui deinde in suis Vasis juxta numerum Altarium distribuuntur, ut pro temporis opportunitate populo satisfieri possit. Haec autem privata benedictio fit eo modo quo supra dictum est, demptis iis, quae ad majorem solemnitatem spectant, veluti Antiphonam *Exaudi*, incensationem, et Antiphonam *Immutemur P. Cavalieri, tom. 4, decr. 23. cap. in Ord. 245.* In fine cujuscumque distributionis Sacerdos lavat manus non

in pelvicula consueta, sed in aliquo Vase ad id praeparato, et manuum lotiones et Cineres, qui amplius usui non sunt, in Sacrarium immittuntur.

63. Sacerdos in Missa privata, sacris indutus paramentis, potest Cineres distribuere, et Sanctorum reliquias deosculandas praebere, expleta Missa; non vero sibimet. *S. R. C. d. 16. Mart. 1833 in Veronen.* Gard. (Ed. 3.) n. 4558 ad 5.

64. Cineres distribuendi in Feria quarta post Domenicam Quinquagesimae debent esse aridi *S. R. C. d. 23. Maji 1603.* Egitanien. Gard. (Ed. 3.) n. 197. ad 6.

65. Benedictio publica sacrorum Cinerum facienda in Fer. 4. post Dom. Quinquag. non potest fieri post Tertiam, sed servandae sunt Rubricae, quae praescribunt post Nonam. *S. R. C. d. 22. Jan. 1701* Congr. Mont. Coron. Gard. (Ed. 3.) n. 3575 ad 4— S. R. C. d. 19 Jan. 1743. Ord. Eremit. Camald. Mont. Coron. Gard. (Ed. 3.) n. 4136. ad 3.

CAPUT VIII.

DE TEMPORE QUADRAGESIMALI AD DOMINICAM USQUE PALMARUM.

66. In officio de Tempore, excepta Domenica quarta, dicta *Laetare*, sacri Ministri loco Dalmaticae ac Tunicellae, Planetis seu Casulis

ante pectus plicatis in praecipuis et insignioribus Ecclesiis utuntur: flores et Imagines, ac Reliquiae inter Candelabra non apponuntur. Nec Organa, nec aliud quodvis instrumentum musicale pulsantur. Quo etiam tempore Cantus firmus, non vero figuratus, in ferialibus diebus convenit adhiberi. Reliqua alibi diximus in cap. I. n. 2.

67. Dominica quarta dicitur *Laetare*, (1) sicut in Adventu Dominica tertia, *Gaudete*, quia Missae harum Dominicarum habent Introitum, *Laetare Jerusalem*, et *Gaudete in Domino*; et cum laetitiam indicent, Dalmaticis et Tunicellis coloris rosacei utuntur Ministri in solemni Missa; Altare vero paratur festivius quam in aliis Dominicis, nam adhiberi possunt flores Imagines, aut Reliquiae, et pulsantur Organa.

68. Sabbato ante Dominicam primam Quadragesimae, et deinceps usque ad Pascha dicuntur in Choro Vesperae ante Coenam (2) ex

1) Nominata etiam fuit Dominica *panis*, quia legitur Evangelium multiplicationis Panis, significaturque in ea Populi Christiani liberatio a tyrannica Idolorum servitute. Durandus *lib. 5. c. 53.* Unde in signum laeti diei, Cardinales induuntur vestibus rosaceis, et Summus Pontifex, eundo ac redeundo a cappella, in signum laetitiae fert Rosam auream in manu ab eo benedictam, quam deinde alicui magno Principi mittere solet. Macrius Hierolex. V. *Domin. Laetare.*

2) Dixi ante Coenam: olim namque in quadragesimali jejunio post vesperas hora coenae solve-

Concil. Cabilon. Can. Solent de Consecrat. dist. 1. exceptis diebus Dominicis. Quoad vero privatam recitationem nullum extat praeceptum, quamvis conveniat huic se conformare ritui. At Antiphona finalis B. M. V. dicenda est stando, ut in Decr. infra n. 73. relaturo; sic et salutatio Angelica ad meridiem.

69. Ante primas vesperas Dominicae Passionis etiamsi celebrentur de Sancto cooperiuntur omnes Cruces, et Imágines Salvatoris et Sanctorum per Ecclesiam, ac Icones Altarium S. R. C. d. 4. Aug. 1663. Dalmatiar. Gard. (Ed. 3.) n. 2241. ad 2. Velis violaceis, in quibus nulla appareat figura. nec insignia quidem Passionis (1). Quae vela c. viol. non sunt mutanda juxta colorem festorum. occurrentium. Praedictae autem Cruces sic tectae remaneant usque ad feriam VI. in Parasceve, post Sacratissimae Crucis denudationem ; et Imagines Sanctorum ad finem usque Litaniarum Sabbati Sancti, quocumque recurrente festo, etiam Patroni. S. R. C. d.16 Nov. 1649 Janüen. Gard. (Ed. 3.) n. 1613. ad 2. 3. To-

---

batur. Hinc etsi nunc horam anticipemus, nihilominus coenae vocabulum retinemus, quam ea prece benedicimus, quae ad coenam adhibetur, scilicet. *Edent pauperes etc.*

1) Bauldry. P. IV. c. V. n. 5. Pisart. de Dom. Pass. n. 2. Quo ritu significatur, jam Christum non in palam ambulasse apud Judaeos hoc tempore, et abscondisse se, ut in Evangelio Dominicae dicitur. Gav. P. IV. Tit. VII. n. 1.

to Passionis tempore in Officio Dominicae et feriae tantum, non autem de Sanctis, omittitur *Gloria Patri* . . . ad Invitatorium, ℟℟. Nocturnorum, Horarum, et Completorii. Item a vesperis hujus Sabbati usque ad Dominicam SS. Trinitatis inclusive non fiunt ad Laudes et Vesperas Sanctorum Suffragia, ut Christum hoc tempore sit unicum refugium nostrum; nec de Pace loquimur; quia repraesentative moritur ille, et nondum resurrexit, qui deinde dixit *Pax vobis. Durand. lib. 6. c. 9.* Dicuntur tamen preces juxta Rubr. Similiter in Missa Dominicae et feriae tantum ante confessionem omittitur Psalm. *Judica* . . . et *Gloria Patri* . . . . ad Introitum, (1) ad Ps. *Lavabo*, et in Aspersione aquae lustralis. Praefatio Missae dicitur de Cruce usque ad feriam VI. majoris Hebdomadae inclusive, etiam in Festis ac Missis votivis nisi propriam habeant.

70. Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimae, Passionis, et Palmarum cum tota Hebdomada majori reputantur tamquam primae classis, et excludunt quodcumque Festum etiam Patroni, vel Titularis, seu Dedicationis propriae Ecclesiae.

1). *Rupert. lib. 5. cap. 4.* probat verisimiliter in Vesperis Sabbati ante Dominicam de Passione coactum fuisse Concilium adversus JESUM; ideoque moestitia major convenit ecclesiasticis Officiis; et hinc in Introitum tacetur *Gloria Patri*, apud quosdam, inquit ille; sed *Ord. Rom.* expresse omittit, ut et nos humilitati studentes omittamus excelsa nostra, *ait Alcuin.*

Sequuntur aliqua Decreta super hoc Capitulo

71. Imagines et Cruces velari debent Sabbato Passionis, etiamsi occurrat eo die festum Sancti Titularis vel Patroni Ecclesiae. S. R. C. d. 16. Nov. 1649. *Januen.* Gard. (Ed. 3.) n. 1613. ad 2. 3. *supra relatum.*

72. Adveniente Quadragesima cessat quaecumque octava, etiam inchoata, quo casu cessare debet in feria tertia ad Nonam. sed Vesperae debent esse feriales. S. R. C. d. 17. Maji 1692 *Hispaniar.* Gard. (Ed. 3.) n. 3277.

73. Utrum in Sabbatis Quadragesimae ad Antiphonam B. M. V. in Vesperis ante Meridiem celebratis sit standum, vel genuflectendum ut docet *Manuale Ecclesiasticor.* edit. Romae etc. ?

S. R. C. resp. Affirmative ad 1m. partem, Negative ad 2m. Die 12. Aug. 1854 *in una Dubior.* ad 40m.

74. An cum recitatur Matutinum pro feria 2. in Dominica praecedenti ante solis occasum genuflecti debeat ad Antiphonam finalem B. M. V ?

S. R. C. resp. Negative, et standum esse, dum Matutinum recitatur ante solis occasum. Die 22. Aug. 1818. *Hispalen.* Gard. (Ed. 3.) n. 4549. ad 8.

75. Preces feriales, et Antiphona finalis B. M. V. non solum in Choro, sed etiam in privata Officii recitatione, flexis genibus suntne recitandae ? an vero damnandi, qui in privata

recitatione hanc genuflexionem omittunt ?

S.R. C. resp. In Choro tantum juxta rubricas. Die 12 Novemb. 1851. *Marsor*. Gard. (Ed. 3.) n. 4669. ad 44.

CAPUT IX.

DE DOMINICA PALMARUM.

76. Pro Festo Palmarum, quod est in capite Passionis, paretur Altare Pallio violaceo cum sex candelabris, inter quae, loco Florum vel Imaginum, poni queunt rami Palmarum, sive Olivarum, aut aliarum arborum.

77. Prope cornu Epistolae in plano erigatur mensa linteo mundo undequaque contecta, super quam collocentur Palmae et rami Olivarum. Pro Celebrante autem, Superiore, sacris Ministris, Nobilioribusque, si aderunt, parentur Palmae, sive Olivarum rami caeteris speciosiores; qui deinde omnes tegantur mappa munda, vel alio velo decenti usque dum fiat eorum Benedictio (1).

78. Abacus quoque a latere Epistolae accommodetur, praeter requisita ad Missam continens Stolam latiorem pro Diacono, Thuribulum cum navicula, Bacile cum Manutergio, et Urceum aquae cum medulla panis. Praeparentur item Missalia, et Ritualia. Crux Processionalis, cujus Effigies velo et hasta pendenti flamine violaceis

(1) Bauldry. P. IV. art. 1. n. 5.

obducantur, et a parte Evangelii tria Legilia velo violaceo in parte tantum suprema cooperta.

79. Cantata in Choro Tertia, Superior vel dignior ex Coenobitis Pluviali violaceo super Albam et Stolam sine Manipulo indutus per sacros Ministros, qui deinde Planetas plicatas cum Manipulis accipiunt, Aspersionem aquae lustralis primum de more acturus pergit, Acolytho praeeunte cum Vase. Qua peracta, idem Acolythus reponit Vas aquae benedictae super Credentiam, et post Orationem consuetam *Exaudi nos . . .* ipse vel Caeremoniarius Missale apertum super Altare in cornu Epistolae collocat, atque Ramos discooperit.

80. Celebrans interim absque ulla genuflexione, vel inclinatione praevia, Altare conscendit, illudque in medio osculatur, sacris Ministris genuflectentibus. Tum accedit ad cornu Epistolae, ubi stans inter Diaconum et Subdiaconum, ab Altari parumper distantes legit submissa voce, non se signans, Antiphonam *Hosanna*, quam interim Cantores inchoant, et Chorus prosequitur. Qua expleta, Celebrans stans ut prius inter sacros Ministros, non vertens se ad populum, manibus junctis cantat *Dominus vobiscum*, deinde *Oremus* cum inclinatione capitis, et Orationem *Deus*, *quem diligere . . .* in tono feriali.

81. Interea Subdiaconus, reverentia exhibita Altari, ad Credentiam se confert, ubi deposita Planeta plicata, et sumpto Libro Epistolarum, ad Altare genuflexurus pergit, comita-

tus a Caeremoniario; ac deinde lectionem de *Libro Exodi* in loco solito cantat in tono Epistolarum, quam Celebrans demissa voce legit una cum Graduali, respondente Diacono in fine lectionis *Deo gratias.* Epistola decantata, Subdiaconus post exhibitam denuo Altari reverentiam ad Celebrantem accedit, manum ejus genuflexus osculaturus. Deinde reddito Libro, Planetam plicatam resumit, et ad sinistram Celebrantis ut prius assistit. Sed Celebrans, data benedictione Subdiacono, ibidem, et non in medio Altaris, profunde inclinatus de more versus Crucem, secreto dicit *Munda cor meum*, *et Jube Domine benedicere;* ac deinde in eodem cornu Epistolae legit Evangelium more solito, assistente et respondente Subdiacono.

82. Dum loco Gradualis canitur ℟. *Collegerunt*, vel *In monte Oliveti*, Diaconus, dimissa prius Planeta plicata, et sumpta latiori Stola, defert de more Librum Evangeliorum ante pectus super medium Altaris. Deinde ad cornu Epistolae reversus, Thuribulum cum solitis osculis ministrat, in quo Celebrans, Pluvialis fimbriam elevante Subdiacono, Thus de more imponit cum benedictione. Sub finem ℟. Diaconus in medio Altaris super suppedaneum genuflexus et profunde inclinatus dicit *Munda cor meum* . . . accipit librum de Altari, petit benedictionem a Sacerdote stante semper ad cornu Epistolae versus eum. Postea cum Ministris, et reverentiis solitis cantaturus pergit Evangelium, prout in Missa solemni. Quo ex-

pleto, Subdiaconus defert Librum osculandum Celebranti, quem Diaconus inde thurificat, et deposita Stola latiori, Planetam plicatam reassumit, et ad Altare ut prius accedit.

83. His peractis, Celebrans stans inter sacros Ministros in eodem cornu Epistolae aliquantulum ad Ramos conversus, manibus junctis ut supra, dicit in tono feriali *Dominus vobiscum*, et Orationem *Auge fidem* . . . praemisso *Oremus*, cum inclinatione capitis. Tum prosequitur Praefationem, ut in Missali, manibus semper junctis, et assistentibus hinc inde Diacono et Subdiacono, qui in fine inclinati dicunt cum Celebrante *Sanctus*, quod etiam cantatur a Choro in tono feriali, et ad *Benedictus, qui venit* . . . erecti de more se signant. Mox Celebrans priori tono feriali decantat sequentes Orationes absque ulla mutatione, etsi benedicantur Rami arborum, non Palmarum aut Olivarum. Cum autem benedicturus est Ramos, ad hoc signum ✠ sinistram super Altare ponit, et dextera signum Crucis producit, anteriorem Pluvialis fimbriam elevante Diacono.

84. Completis Orationibus, Celebrans aspergit, thurificat, et distribuit Ramos, prout diximus in die Purificationis a num. 32 usque ad 38. (1) ac subinde fit Processio, prout in eadem die Purificationis, mutatis tamen mu-

1) Dum incipitur distributio Ramorum, et non prius, Cantores in Choro intonant Antiphonas: *Pueri Hebraeorum* . . . quas repetunt quousque sit finita

tandis. Diaconus et Subdiaconus Manipulos suos prius deponunt. In summitate Crucis Processionalis ligatur vitta violacea ramusculus ex Palmis, seu Olivis benedictis. Cum ad fores Ecclesiae devenerit Supplicatio, Subdiaconus Crucem deferens sistit se cum Ceroferariis prope januam in medio, versa facie ad illam. Chorus vero vel hinc inde vel per gyrum nudo capite stat, medium habens Celebrantem cum Diacono a sinistris ejus; ita ut Celebrans Imaginem Crucifixi ad ipsum tunc conversam directe respiciat. Cum illi duo, vel quatuor Cantores Ecclesiam opportune ingressi, et clauso ostio, stantes versa facie ad Processionem, incipiunt ℣. *Gloria Laus* . . . quem integre una cum sequenti prosequuntur: Celebrans vero, tecto capite, cum aliis extra Ecclesiam repetit eosdem Versus. Deinde qui sunt intus cantant alios ℣℣. sequentes vel partem, prout videbitur: et qui sunt extra, ad quoslibet binos Versus respondent *Gloria, Laus* . . . sicut a principio. Postea Subdiaconus ima parte hastalis Crucis semel tantum, ac leviter percutit portam, quae statim ab iis, qui sunt intra, aperitur, et Processio

Ramorum distributio, et nunquam cessare debent; et ut semper sint in Choro aliqui, qui cantent, post reditum priorum, ii cantent, et alii procedant ad Ramos capiendos, vel si sint pauci, unus post alium procedat. Ita et in distributione Cinerum haec similiter serventur quoad Antiphonam: *Immutemur habitu.* Bissus lit. B. n. 86. §. 5. Bauldry. P. IV. c. IV. A. 1. n. 6.

intrat Ecclesiam, cantando ℟. *Ingrediente Domino* . . . sine ℣. *Gloria Patri.*

85. Si Supplicatio extra Ecclesiam dirigi nequiverit, intra eamdem deducatur, et quod prae foribus praestandum erat, fiat in Vestibulo ante ingressum Arae Principis. Subdiaconus, ubi ad Altare pervenerit, Crucem prope Credentiam deponit, ac super eam Candelabra Acolythi. Coenobitae vero ad Subsellia Chori, praemissa Altari genuflexione recto tramite pergunt. Et tandem Celebrans cum iisdem sacris Ministris retrahit se ad cornu Epistolae, ubi dimisso Pluviali, Manipulum et Planetam violaceam induit, prout etiam sacri Ministri suos Manipulos sumunt. Tum ad medium Altaris ante infimum ipsius gradum Sacrum inchoaturus accedit, in quo sequentia sunt notanda.

86. Omisso *Gloria in Excelsis*, mox dicitur unica Oratio absque ulla Commemoratione, etiam in Missis privatis, de Festo simplici forsitan occurrente, licet facta fuerit in Officio, (1) et collecta ab Episcopo imperata, quae etiam est omittenda. S. R. C. d. 20. April. 1822. Crotonen. Gard. (Ed.3.) n.4586. ad 2. Cum Subdiaconus in Epistola pronuntiat verba *ut in nomine Jesu* . . . ipse et omnes alii (excepto Celebrante cum Diacono, qui genuflectit ea legendo, et in lectura Gradualis solito longioris occupato) genuflectunt usque ad: *Et Infernorum*, inclusive. (2) Cantata vero Epistola, idem Subdia-

1) Rub Miss. R. P. I. Tit. VII. n. 1.
2) C. Ep. Lib. II. c. XXI n. 13.

conus manum Celebrantis osculatur, Librum Acolytho tradit, resumptaque Planeta plicata, Celebranti una cum Diacono assistit, ut ad Introitum Missae. (1).

87. Tres Diaconi, a Diacono et Subdiacono distincti, qui Passionem sunt cantaturi, dum Epistola et Tractus dicuntur, parantur in Sacrario Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, et Stola tantum communi, coloris violacei ex Caer. Ep. Lib. II. c. XXI. n. 14. et circa finem Tractus procedunt e Sacristia ad Altare hoc ordine.

88. Praecedat Caeremoniarius, et eo deficiente, Thuriferarius sine Thuribulo; tum ille qui Evangelistae Personam gerit, solus; deinde qui Turbarum; ultimo qui Christi, omnes tecto capite, deferentes sibi Librum seu Codicem passionis ante pectus ambabus manibus. Subsequantur tres Clerici simul cum Cottis sine Candelabris, qui cum ad Altare pervenerint, ita se disponunt: Christus in medio, Evangelista a dextris ejus, et Turba a sinistris, (2) deinde factis Altari et Celebranti debitis reverentiis, accedant ad Legilia violaceo contecta in cornu Evangelii opportune praeparata, quin *Munda cor meum* praemittant, vel benedictionem petant. Et ibi stent in recta linea, eodem modo conversi quo Diaconus in Missa solemni, ad lectionem Evangelii: quod si ad Ambonem pro Ecclesiae more cantabitur

1) Castald. L. III. sect. V. c. V.

2) Caval. T. IV. c. XVI. dec. III. n. 8. Bauldry. Merati aliique.

Passio, tres Cantores stabunt facie ad populum versa; ita tamen, ut qui Evangelistam agit semper medium locum teneat; qui Christum, dexteram; et qui Turbas, sinistram Evangelistae. Tres autem Acolythi stent post Cantores eorumdem Palmas in manibus tenentes.

89. Dispositis omnibus, ut supra, et expleto Tractu, Evangelista, manibus junctis ante pectus (quod ab aliis duobus Cantoribus observatur) incipit absolute in Tono competenti *Passio Domini* . . . sine luminaribus et incenso, omissis etiam *Dominus vobiscum* et *Gloria tibi Domine*, necnon signo Crucis super Librum et seipsum. Tunc assurgunt omnes detecto capite, Palmasque in manibus tenent ad finem usque Passionis et Evangelii. Celebrans quoque Palmam teneat sinistra manu, et submissa voce Passionem legat, stans in cornu Epistolae versus aliquantulum ad ipsos Cantores, (1) Ministris sacris stantibus apud eum, ut in Introitu Missae, cum Palmis etiam in manu sinistra.

90. Cum Celebrans private legens pervenerit ad illa verba *Jesus autem exclamans voce magna emisit spiritum*, non genuflectit cum Ministris ne adstantes a Passionis auscultatione distrahantur, neque confusio inde oriatur; cum Celebrans genua flectere debeat, quando Evangelista ea cantat, et genuflectitur ab omnibus in Choro et ab adstantibus in Ecclesia. Lecta demum Passione usque ad eam partem, quae cantanda est a Diacono Missae in tono Evangelii exclusive,

1) C. Ep. L. II. c. XXV. n. 17.

Celebrans cum Ministris vertit se ad Cantores, ut assolet, dum in Missa cantatur Evangelium, et Diaconus stat ad ejus sinistram, et Subdiaconus ad sinistram Diaconi super gradus, omnes in recta linea cum Palmis in manu tunc dextera, sinistra pectori admota.

91. Dum cantatur *Jesus autem exclamans voce magna emisit spiritum*, genua flectunt omnes, Cantores quidem versus Librum, reliqui vero in suis locis, facie tamen versus Crucem Altaris conversa; et ideo antequam praedicta verba cantentur, Celebrans et Ministri sacri accedunt ad medium Altaris, (si talis adsit consuetudo) descendentes usque ad 2. gradum, et genuflectunt super suppedaneum utroque genu, nec prius ipso Evangelista surgant, qui Evangelista non genuflectit nisi prolatis a se omnibus dictis verbis, (1) sicque genuflexi pausant aliquantulum cum capitis inclinatione saltem per spatium unius *Pater* ut in Cappella Papae; (2) et prolatis verbis etiam ipsi Cantores et Clerici, qui sunt apud ipsos, nec prius Evangelista surgunt. Notandum tamen ex Caerem. Ep. L. II. c. 25. quod signum surgendi non est dandum strepitu manuum, vel alio modo a Celebrante, sed surgente Evangelista, surgunt omnes. Celebrans igitur et Ministri assurgunt, et Cantores prosequuntur Passionem usque ad illam partem ,

1) Bissus lit. P. §. IV. et V. n. 255.
2) Caerem Rom. Marcell. Corc. L. II. c. 9.

quae habetur loco Evangelii. Qua finita, debitas Altari, et Choro exhibent reverentias, eoque ordine quo venerunt, in Sacrarium remeant Paramenta dimissuri. Praedicta vero Legilia statim amoveantur.

92. Cantata Passione, Celebrans, deposita Palma, accedit ad medium Altaris, ibique de more dicit *Munda cor meum, et Jube Domine*, et Subdiaconus interim transfert Missale ad cornu Evangelii, ubi Celebrans non signans Librum nec seipsum, nec dicens *Dominus vobiscum*, legit reliquam partem Passionis, quae locum tenet Evangelii, *Altera * autem die . . .*, assistente sibi Subdiacono, qui etiam respondet *Laus tibi Christe* ut in aliis Missis; sed in fine non osculatur Librum, ut in privato osculatur, quia debet eum osculari post cantatam illam partem a Diacono, offerente ipsi Celebranti Subdiacono Librum. Interim Diaconus Missae, deposita Palma et Planeta plicata, Stolam latiorem accipit, et Librum Evangeliorum ad Altare portat. Tum finito a Celebrante Evangelio, Naviculam cum osculis more solito ministrat, genuflexus dicit *Munda cor meum*, et benedictionem petit. Qua accepta, ad locum consuetum, praecedentibus Thuriferario cum Thuribulo et duobus Acolytis sine Candelabris, qui tenent in manibus Palmas, se confert: ubi thurificato prius Libro, absolute cantat in tono Evangelii *Altera * autem die*, praetermissis *Dominus vobiscum* et signo Crucis super Librum et seipsum. Celebrans autem, data benedictione Diacono, retrahit se ad

cornu Epistolae, ibique stat conversus ad Diaconum cum Palma in manibus, tradita ipsi cum solitis osculis a Caeremoniario. Et in fine deposito Ramo, osculatur Librum in principio illius postremae partis, quae pro Evangelio habetur, et incensatur a Diacono; Missam deinde prosequitur, ut moris est, quin Chorus ad elevationem Palmas resumat, aut cum iisdem Celebrans et Ministri in Sacrarium, finita Missa, redeant. Quae omnia et in aliis Passionibus servantur, praeterquam in Parasceve, de qua suo loco.

93. In Missis privatis Sacerdos Passionem legit in cornu Evangelii, omissis prius *Munda cor meum, Dominus vobiscum, et signo Crucis.* Ad verba *Jesus autem exclamans voce magna emisit spiritum . . .* genua flectit versus Missale, et aliquantulum pausat, capite inclinato. Postmodum surgit, et in medio dicit *Munda cor meum...* de more. In fine Missae legit Evangelium: *Cum appropinquasset,* ut in benedictione Palmarum, nec extinguuntur Cerei Altaris cum privata, tum solemni Missa, dum dicitur Passio.

Sequuntur aliqua Decreta super hac sacra Actione.

94. Dum Passio cantatur omnes debent stare, et nemini licet sedere, nec etiam Celebranti ejusque Ministris. S. R. C. d. 28 April. 1708 Bracharen. Gard. (Ed. 3.) n. 3786. ad 3.

95. In Missa conventuali sive cantata sive

plana Passio legi debet in cornu Evangelii. *S. R. C. d. 12. Mart. 1836.* Trident. Gard. (Ed. 3.) n. 4777. ad 3.

96. Feriis 3 et 4 major. Hebdomadae permitti potest, ut cantetur Passio a duobus, dans vocem Christi ab Altari Sacerdos celebrans, defectu ministrorum. *S. R. C. d. 10. Jan. 1852.* In Montis Politian. ad 2. Decr. noviss. ed. a S. R. C. cura Biblioth. Cath. Scriptorum. Neap. 1855. V. *Passio* p. 225.

97. Moniales in Dominica Palmarum, et feria 6 in Parasceve major. Hebdomadae in Missis solemnibus, in earumdem Ecclesiis celebratis, turbam repraesentare non possunt, canentes partem ad turbam spectantem, sub poena suspensionis ab officio, seu Regularibus muniis. S. R. C. d. 17 Jun. 1706 Juvenac. G. (Ed. 3.) n. 3745.

98. Pro repositione SS. Sacramenti in oratione XL. horarum si fieri debeat vel deceat ut fiat Benedictio palmarum, haec facienda erit in alio Sacello laterali, quo magis fert Ecclesiae structura, distante ab Ara maxima, in qua SS. Sacramentum expositum est, servatis omnibus caeremoniis in Missali praescriptis, sed absque Processione. *S. R. C. d. 17 Sept. 1822 Dubior.* Gard. (Ed. 3.) n. 4590 ad. 10.

99. Missa solemnis de Annuntiatione B. M. V. non potest celebrari, quando ejus festum incidit in Dominica Palmarum *S. R. C. d. 10. Mart. 1657* Placentina Gard. (Ed. 3.) n. 1816.

100. Missa solemnis de S. Josepho quando ejus festum incidit in feriam secundam, tertiam,

aut quartam major. Hebdomadae, non potest cantari, etiam ob concursum populi, sed debet omitti; nec potest illis diebus fieri Processio in ejus honorem. *S. R. C. d. 4 Aug. 1663.* Urbis. Gard. (Ed. 3.) n. 2250 ad 1.

CAPUT X.

DE FERIA V. IN COENA DOMINI.

101. Altare majus cum vasis florum tantum, exclusis Sanctorum imaginibus, eorumque reliquiarum ostensoriis, summo mane nobilioribus induatur Paramentis albis, sed Pallio albo superponatur aliud violaceum, post Nonam amovendum. Suppedaneum et gradus Altaris rubro vel versicolori obducantur tapete; Scamnum vero pro Celebrante et sacris Ministris panno viridi. Crux in eodem Altari velo obtecta violaceo, super quod post Nonam (1) apponitur aliud velum album pro Missa, iterum amovendum post vesperas in denudatione Altarium. (2) Altaria vero

1) Merati in Gav. P. IV. Tit. VIII. §. I. n. 1.

2) Ad majus Sacristae commodum Crux in praeparatione Altaris tegi potest tribus velis: quorum primum, hoc est inferius, sit violaceum, secundum seu medium sit album, et tertium seu exterius, quod tegit alia duo, sit etiam violaceum. Ita ut post Nonam amoto primo velo violaceo appareat secundum album pro Missa: et in denudatione Altaris amoto quoque hoc secundo coloris albi remaneat tantum tertium coloris violacei pro officio sequentis diei.

*

minora cum eorum Crucibus remaneant cum suis paramentis violaceis.

102 Super Abacum, praeter consueta pro Missa solemni, duae collocentur Hostiae grandioris formae tempore suo consecrandae. Calix item amplior, caeterisque pulchrior cum Palla et Patena, Velo parvo ex pretiosioribus albi coloris, et vitta serica pariter alba pro firmando dicto velo Calicis, in quo Sacratissima reponenda est Hostia.(1) Alterum paretur Velum album sericum oblongum et pulcherrimum, praeter illud Subdiaconi pro delatione SS. Sacramenti. Pyxis insuper cum plurimis intus particulis consecrandis pro Communione generali. Ac tandem alius Calix cum vino pro purificatione eorum, qui sunt in Sacris constituti, et Vas unum seu plura pro caeteris, una cum Mappulis ad os extergendum, necnon Linteum magnum lineum mundissimum anteCommunicandos extendendum.

103. A latere Epistolae extra Presbyterium praeparetur Baldachinum perpulchrum, et prope Credentiam Umbella albi coloris, et Crux Processionalis tecta velo violaceo, et non albo S. R. C. d. 20. Decemb. 1783. Lusitan. Gard. (Ed. 3.) n. 4414. ad 4. In Sacristia vero pretiosiora aptentur Indumenta Missalia albi coloris, Planeta nimirum et Pluviale, Dalmatica et Tunicella pro sacris Ministris, et altera Tunicella cum Alba sine Manipulo pro alio Subdiacono

1) Memor. Rit. Bened. XIII. pro aliq. praestantior. funct in minor. Eccl. Tit. IV. c. 1. §. in Abaco n. 2.

Crucem in Processione delaturo. Plures item sint Cottae pro Sacerdotibus aut Clericis, vel Laicis professis (juxta Ecclesiarum morem) hastas Baldachini elevaturis, et aliis Ministris. Duo insuper Candelabra cum Cereis, et duo Thuribula cum Naviculis. Denique parentur in Choro nonnullae Stolae Presbyterales albi coloris pro Sacerdotibus communicaturis C. Ep. L. II. c. XXIII. n 6. (1) et Candelae albae in sufficienti numero cum octo ad minus Intortitiis pro Processione.

104. Praeparetur etiam intra Ecclesiam aliquod Sacellum, non Theatrum ad instar scenae, ab eo Altari, in quo Sacrificium fuit peractum, omnino distinctum, (2) illudque quam maxima fieri

1) Notanda sunt ad rem verba Cavalerii circa Stolam, quae in communione ex citato Caerem. Episc. a solis Sacerdotibus est deferenda: « Laudatum Caeremoniale dum Sacerdotibus imposito onere com- » municandi cum stola, indiscriminatim subdit: *et* » *denique omnes de clero*, Diaconos quos probe » noscit, reliquis de Clero, qui sine stola commu- » nicant, aggregare videtur. Sacerdotalis dignitas » adeo supereminet Diaconalem, ut per hoc quod » illa significari debeat per Stolam, quae est si- » gnum auctoritatis ejusdem super verum Christi » corpus conficiendum et ministrandum, inepte ad- » modum quid simile inferretur in favorem Diaco- » nalis, quae nullam auctoritatem habet ad conficien- » dum Christi corpus, sed dumtaxat ad hoc ministran- » dum in casu tamen solius necessitatis, et ex com- » missione Sacerdotis. To. IV. c. 1. decr. V. n. VI.

2) Rub. Miss. R. ut in Fer. V. in Coena Dni.

poterit magnificentia ornetur (1) pretiosis velis, idest cortinis, non nigris. neque violaceis,aut altero obscuro colore. S. R. C. d. 21 Januar. 1662. Lauden. Gard. (Ed. 3.) n. 2146. Multis luminibus, floribus, aliisque solemnitatem et splendorem indicantibus. (2) In eo erigatur Altare cum sex Candelabris ac totidem Cereis albis, sed absque Reliquiis aut Imaginibus Sanctorum : collocari tamen ibidem possunt Angelorum simulacra candelas prae manibus habentia. Verum Personae, Larvae, aut quaecumque figurae, Mysteria etiam Passionis exhibentes penitus eliminentur.

105. Sit praeterea super illud Altare Capsula ad instar Arcae vel Sepulcri affabrè elaborata , auroque vel argento intus, et extra illita, quin Ostiolum ejus sit vitreum, sed ejusdem materiae; ita ut Calix in quo SS. Sacramentum repositum est nullo pacto videri possit. (3) *Nec est toleranda consuetudo quorumdam, qui contra id quod praescribitur in Missali, exponunt patenter hostiam consecratam reservandam a Fer. V. in Caena Dni usque ad ipsius consumptionem in Fer. VI. in Parasceve*

1) C. Ep. L. II. c. XXIII. n. 2.

2) Cavaler. To. IV. c. 1. decr. VI. n. VII. *Exemplum habes in Sacello Pontificio Romano, ubi omnia splendent in hoc casu reservandae Hostiae: abusive a vulgo sepulcrum Christi appellatur.* Gav. P. IV. T. VII. rub. 9. L. g.

3) a Portu P. 3. c. I. art. 3. rub. 8. adn. n. 2. circa finem — Gav. P. IV. Tit. VIII. rub. 9. L. r. — Bauldry, aliique.

ita decrevit S. R. C. d. 14. Febr. 1705. Ord. Capuccin. Galliae. Gard. (Ed. 3.) n. 3710. ad 7. Illa vero collocetur in eminentiori loco; habeatque desuper Baldachinum album, nisi ratione apparatus variis undique picturis ornati superfluum videatur.

106. Praedictis omnibus dispositis, hora competenti dicuntur Horae minores (1) sine cantu, gravi sed demissa voce (2), duobus vel quatuor super Altare ardentibus candelis; et interim, dum legitur Nona, localis Superior (3) et Ministri Indumenta Missalia in Sacrario de more sumunt. Tum expleta Nona, omnes Cerei Altaris et Ceroferariorum accenduntur, et amovetur Pallium violaceum, et album apparet: et tegitur Crux Altaris alio velo albo, ut supra dictum est, inferius remanente violaceo. Inde proceditur ad Missam, (4) in qua omittitur Psalmus *Judica me Deus* ℣. *Gloria Patri*, tam ad Introitum quam ad finem Psalmi *Lavabo*.

1) Tres Psalmi cujusque Horae prosequentur sub unica conclusione, quasi essent versus unius et ejusdem Psalmi, usque ad ultimum illius Horae versum inclusive, qui terminabitur cum modica inflexione vocis. Quibus finitis genuflectant omnes, ac prosequatur ℣. *Christus factus etc.*

2) Gav. Sect. VI. c. XIII. n. 23.

3) Ubi adest Minister Generalis vel Provincialis, iste locum tenet Superioris localis.

4) N. B. Caeteris praetermissis, quae ad Missam solemnem sunt communia, particularia tantum dicturi sumus.

107. Intonato solemniter a Celebrante *Gloria in Excelsis Deo*, pulsantur Campanae cum minores intra Ecclesiam, tum majores in Turri Campanaria et Organa, ubi sunt; sed postquam Celebrans cantaverit vocem illam, *Deo*, ne irruat sonus in Celebrantem intonantem talem Hymnum: praeterea Chorus incipit prosequi Hymnum eumdem, postquam in Ecclesia terminaverit sonitus et Organorum et Campanarum, quae deinde silent usque ad Sabbatum Sanctum ad ejusdem Hymni Angelici intonationem. Tunc earum loco, scilicet pro Salutatione Angelica, divinisque indicandis officiis, adhibetur instrumentum ligneum, Crotalum dictum. Post Hymnum unica dicitur Oratio, etiamsi simplex occurrat, et Graduale ita lente cantatur, ut Celebrans eo tempore commode Evangelium legere possit, benedicere Incensum et Diaconum, quin silentium interponatur, ad quod Cantores omnino advertere debent (1).

108. Suo tempore Subdiaconus Calicem cum Palla Patena, ac duabus desuper Hostiis magnis sine velo parvo ex Abaco ad Altare defert, coopertum Velo a collo sibi pendente; eodem tempore Caeremoniarius post eum gestat Pyxidem cum pluribus intus Particulis consecrandis, operculo tectam, quam Diaconus super Corporale reponit, et cum Celebrans dicit *Suscipe Sancte Pater*.. discooperit illam, et aliquantum elevat, ac statim super Altare intra

1) Bauldry. P. IV. c. 9. A. II. n. 3. - Bissus lit. F. n. 12. §. 6.

Corporale collocat et operit; et iterum ad consecrationem eam detegit, et postea claudit.

109. Dicto *Sanctus*, quatuor ad summum, vel duo ad minus Ministri Cottis induti ad Altare cum Funalibus Cerae albae ardentibus accedunt; ibique factis debitis reverentiis, genuflexi permanent hinc inde a lateribus Subdiaconi extra Tapetum usque ad factam Communionem. (1) Et cum Sacram Communionem sunt accepturi, alios sibi substituunt, qui dicta Intortitia sustineant, ac deinde Sacro refecti pabulo eadem resumant.

110. Sacri Ministri, dicto ter *Agnus Dei* de more, quia *Pax* non datur, etsi tres sequentes Orationes dicantur, statim loca immutant. Diaconus ad Missale cum debitis genuflexionibus in accessu et recessu, accedit; Subdiaconus vero cum iisdem genuflexionibus ad dexteram Celebrantis, ubi Calicem, quando opus est,

1) Facta Communione Ceroferarii cum intortitiis accensis discedunt comitantes Sacerdotem, qui defert Pyxidem cum particulis pro infirmis ad Sacellum destinatum, ut infra dicetur in fine hujus Capituli. Ad cultum autem et honorem erga SS. Sacramentum quod est in Calice super Altare expositum, non extinguuntur post communionem, sed remanent accensa intorticia, quae sunt super duo candelabra majora ad latera Altaris ex Caerem. Ep. lib. 1. c. XXIX. n. 7. vel super duo brachia lignea parietibus adhaerentia in ingressu Chori et Presbyterii; quemadmodum Instuctio Clementina praecipit faciendum in solemni Oratione 40. Horar. durante Expositione Sacramenti. §. 4.

discooperit et operit. Hausto diligenter Sanguine, Subdiaconus Palla tegit Calicem, eumque collocat versus cornu Evangelii super Corporale. Tum ad sinistram Celebrantis cum genuflexione in accessu et recessu, et non in medio, se confert; Diaconus autem ad dexteram. Et interim Caeremoniarius absque Velo humerali e Credentia ad Altare defert Calicem magnum et pretiosum cum Palla Patena et Velo parvo, quem Diaconus accipiens, super Altare reponit et discooperit. Quo facto, Celebrans cum Ministris genuflectit, surgit, ac reverenter alteram Hostiam consecratam in dicto Calice reponit, quem Diaconus elevatum sustinet, super Altare in medio Corporalis collocat, (1) et prius Palla, deinde, ad tutelam Pallae, Patena inversa praedictum Calicem cooperit, ac desuper velum enunciatum expandit, quod tamen nunc vitta non ligat, (2) ac in medio Altaris prope Secretarum tabellam collocat; ita ut detur locus Pyxidi.

1) Advertat autem hic Celebrans, quod ita immittat supradictam Hostiam in Calice, ut facile et commode sequenti die illam ex eodem Calice extrahere possit, sine ullo tamen manuum contactu. Bauldry. P. IV. c. IX. A. 2. n. 8. Bissus lit. F. n. 42. §. 11.

2) Caeremoniale ad function. Ecclesiast. obeundas in Ord. FF. Minor. S. Franc. Cappuccinor. Tit. XIV. n. 29. — Memor. Rit. Bened. XIII. pro aliq. praestantior. funct. in minor. Eccl. Tit. IV. c. II. §. 1. n. 15 — Merati P. IV. Tit. VIII. §. VI. rub. 6. — Cavalieri To. IV. c. 1. decr. IV. n. 3.

111. Post haec Diaconus discooperit Pyxidem, et facta ab omnibus sacris Ministris genuflexione, statim Celebrans retrahit se ad cornu Evangelii versa facie ad Clerum, dum Diaconus et Subdiaconus descendunt ad primum gradum lateralem Altaris, nimirum Diaconus ad partem Epistolae, et Subdiaconus ad partem Evangelii, ibique stantes inclinati versus Celebrantem, manibus junctis, Diaconus cantat Confessionem in Tono et Notis consuetis, genuflexis omnibus, qui sunt Communionem accepturi. Finita Confessione, Celebrans adhuc stans in cornu Evangelii voce intelligibili dicit *Misereatur vestri . . .* et *Indulgentiam . . .* producto de more signo Crucis; cui Diaconus adhuc inclinatus respondet *Amen.*

112. Sacri Ministri, Absolutione impertita, mox in locis suis genuflectunt, et ad medium Altaris accedunt, ubi genuflexi super suppedaneum Sacram Communionem praestolantur. Et interim duo Acolythi cottis induti Mantile album genuflexi sustinent ante Communicandos, hinc inde ambabus manibus, facie sibi invicem versa, quousque completa fuerit Communio. Celebrans vero post datam Absolutionem convertit se ad medium Altaris versus Sacramentum, ibique unicum genu flectit; deinde sinistra manu accepta Pyxide, et dextera una ex particulis consecratis quam tenet aliquantulum elevatam super dictam Pyxidem, dicit de more ad Communicandos conversus: *Ecce Agnus. . . Domine non sum dignus...* quod ceteri percutiendo sibi pectus secreto proferunt.

113. Deinde Communionem primum Diacono et Subdiacono praebet, qua sumpta, et genuflexione peracta, ad cornu Epistolae, si volunt, se conferunt, ubi Sacrista. vel alius Minister in Sacris ad minus constitutus Calicem cum vino et mappula ad os tergendum ministrat Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis; ceteris autem Purificationem in vase non sacro porrigit Acolythus. (1) Tum ad latera Celebrantis redeunt sacri Ministri; Diaconus quidem ad dexteram, ut Patenam in Communione supponat iis qui sunt communicandi, Subdiaconus vero ad sinistram.

114. Accedent inde Fratres bini et bini per latus Evangelii, manibus junctis, digniores primum Sacerdotes, inde Diaconi et Subdiaconi, Caeremoniarum Magister et Acolythi, ac tandem ceteri Religiosi. Presbyteri cum Stola alba a collo pendente ut supra dictum est procedunt. Cum autem ad Altare pervenerint, praemissa genuflexione in plano, superiorem Altaris gradum conscendunt, ibique super Suppedaneum genuflexi sacram Communionem devote accipiunt. Qua refecti, ne terga Sacramento vertant, per latera descendunt, ita ut in medio excipiantur ab iis, qui communicaturi sunt, ac deinde repetita genuflexione in plano, quin ad invicem sese consalutent, ad cornu Epistolae purificationem sumpturi se recipiunt, (2) et in-

1) C. Ep. L. II. c. XIX, n. 4. — Rit. R. Tit. de Sacr. Euch. §. Ordo ministr. S. Communionem.

2) Ubi adest consuetudo reponendi in Choro al-

de in Chorum quin hymnum *Pange lingua* vel quid simile cantent.

115. Expleta Communione Cleri, Celebrans medius inter sacros Ministros, ad cancellos Populum utriusque sexus communicaturus pergit. Postea a Choro cantatur Communio : *Dominus Jesus* . . . Tum Celebrans supra Corporale Pyxidem reponit, et advertit ne quid fragmenti digitis inhaereat, et genuflexione facta cum sacris Ministris. sacra Pyxis proprio operculo et conopaeo albo tecta, a Diacono traditur alicui Sacerdoti cotta stola et velo humerali parato. qui comitantibus Acolythis cum intorticiis accensis. et alio ministro Umbellam deferente. illam portat ad locum remotum ubi pro infirmis Eucharistia asservatur. (1) Ostiolum vero Tabernaculi quod est in Altari, relinquitur apertum. Tunc Celebrans purificationem et ablutionem sumit in medio, ac Missam absolvit, servatis ritibus et genuflexionibus coram SS. Sacramento (2).

---

teram Credentiam, in qua collocatur Calix cum vino pro purificatione eorum qui sunt in Sacris constituti, et plura vasa pro ceteris, retinenda est, sed hoc in casu purificatio in Choro exequenda est.

1) Caer. Ep. L. II. c. XXIX. n. 7.

2) N. B. Utpote organum silet, Chorus respondere debet *Deo gratias* iisdem notis quibus Diaconus cantavit *Ite Missa est.*

CAPUT XI.

DE PROCESSIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI FERIA QUINTA IN COENA DOMINI.

116. Celebrans completa Missa, ab Altari descendens per breviorem, facta prius cum Ministris genuflexione, unico tamen genu, ut commodius surgere possit; tum unus post alium praecedente Subdiacono ad Abacum se confert, ibique deponit Casulam et Manipulum, quem etiam deponunt Diaconus et Subdiaconus, et Pluviali albo induitur; postea medius inter Ministros fimbriam Pluvialis elevatam tenentes, ad Altare procedit, et cum ipsis in plano genuflectit, surgit, ac stans semiversus ad latus Evangelii, ministrante Diacono Naviculam, et Subdiacono fimbriam Pluvialis elevante, immittit incensum in duobus Thuribulis, sine benedictione et sine osculis; deinde in medio gradus infimi genuflexus ter ducens Thuribulum, facta scilicet ante et postea profunda simul cum Ministris inclinatione.

117. Post incensationem Diaconus velum album oblongum a Caeremoniario, vel ab Acolytho porrectum humeris Celebrantis aptat; deinde Celebrans cum Ministris sacris ad secundum gradum Altaris ascendit, et Celebrans quidem una cum Subd. genuflexus manet in suppedaneo, dum Diaconus progreditur ad suppedaneum, ibique facta genuflexione, primum firmat ad cautelam velum Calicis vitta seri-

ca (1), et postea accepto Calice dextera nodum et sinistra pedem, per latus suum sinistrum seu per eam partem, quae respicit cornu Evangelii se convertit ad Celebrantem genuflexum, cui ipse stans. Calicem porrigit; ita ut ipse Celebrans sinistra nodum teneat, et dexteram superponat Calici, quam Diaconus tegit extremitatibus veli pendentis ab humeris; et statim accepto Sacramento surgit, ac Diaconus tunc reverenter genuflectit, et Sacramentum adorat.

118. Mox Celebrans (explicato jam umbraculo quod sustinetur prope ipsum ab aliquo Ministro cotta induto) stans in medio Altaris, et Calicem ambabus manibus ante faciem elevatum tenens, ad Populum se convertit. Ministris, ut supra, Pluvialis fimbrias hinc inde elevatas tenentibus, et interim a Cantoribus, inchoatur Hymnus *Pange lingua gloriosi . . .* et tunc praecedente alio Subdiacono parato Alba et Tunicella sine Manipulo cum Processionali Cruce, velo violaceo cooperta, medio inter Ceroferarios, qui nunquam genuflectunt, nec etiam SS. Sacramento (2); vertentes se erga Ecclesiam, incipiunt procedere lente et graviter, post quos sequuntur omnes cum intortitiis

1) Memor. Rit. Bened. XIII. sup. cit ibid. §. II. n. 5.—Caerem. Capuccin. ibid. §. II. n. 10.—Merati et Cavalerius, sup. cit.

2) Castald. L. III Sect. VI. c. IV. n. 3. — Corsett. Tr. I. P. I. c. XVIII. n. 12.

albis, seu cereis accensis (1) bini et bini genuflectentes prius utroque genu transeuntes ante SS. Sacramentum, primo Juniores, deinde per ordinem Seniores, ultimus omnium Celebrans medius inter Ministros hinc inde fimbriam Pluvialis elevantes, duobus Thurifarariis cum Thuribulis continuo agitantibus immediate ante Celebrantem; ita tamen, ne terga vertant Sacramento, facie ad ipsum Sacramentum lateraliter conversa, Thuribula dextera manu leniter et graviter ducentes quasi cum odore incensi sternentes viam eidem Sacramento. Celebrans vero cum Ministris recitabit submissa voce Psalmos et Hymnos absque *Gloria Patri* in fine.

119. Praelati locum habent post Celebrantem, si adfuerint, cum Intortitiis pariter accensis, primo digniores, deinde minus digni: similiter hastas Baldachini, quae sunt anteriores in facie Celebrantis Nobiliores gestant. (2) Convenit tamen, ut hodie et sequenti die hastae praedictae a Sacerdotibus, vel saltem Clericis superpelliceo tantum indutis deferantur.

120. Cum perventum fuerit ad locum praeparatum, Subdiaconus deferens Crucem prope

1) Ea manu gestabunt omnes, quae unicuique extima est, altera pectori admota. Caval. in §. XX. Instr. Clem. — Merat. P. IV. Tit. XII. §. III. n. XIV. in Gav. n. 5. — Gardellini in §. XX. Instr. Clem. n. 12.

2) C. Ep. L. 1. c. XIV. n. 2.

Sacellum a latere Evangelii se sistit; reliqui vero hinc inde dividuntur in duas partes, ut Thuriferarius sacri Ministri et Celebrans sub Baldachino commode transire possint per medium illorum; Juniores remaneant prope Crucem. Seniores vero ex ordine procedant ultra, ita ut proximiores sint Sacello, et omnes hinc inde stabunt usque ad adventum Sacramenti. Tunc omnes ante illud genuflectunt utroque genu, et sic manent genuflexi versus Sacellum, donec inde recedant. (1) Celebrans cum ad Sacellum devenerit, subsistit ante gradus Altaris, Choro cantante hymnum *Pange lingua* . . . usque ad Stropham *Tantum ergo* . . . exclusive. Et alternatur cantus Hymni post unamquamque stropham cum sonitu tabulae, quae pulsatur ab aliquo Ministro cotta induto ante Crucem incedente. Quod si fuerit jam completus, Strophae praecedentes repetentur. Baldachinum ad Ostium Sacelli dimittitur et asportatur in Sacrarium, vel ad latus ejusdem Sacelli, sed extra, collocatur, et supradicti Hastiferi parati locum suum petunt, ibique manent genuflexi ut alii. (2) Thuriferarii vero cum ad Sacellum pervenerint, cessant a thurificatione, post quam etiam aliquantulum se retrahunt, ut Celebranti et Ministris locum cedant (3).

121. Diaconus Sacramentum de manu Ce-

1) Castald. L. III. Sect. VI. c. IV. n. 5.
2) Memor. R. maj. Hebd. c. II. §. 9 n. 13.
3) Biss. lit- F. n. 42. §. 14.

lebrantis genuflexus super suppedaneum accipit, deinde surgit et expectat, donec Celebrans reverenter ante ipsum genuflectat, tum Calicem primo ponit super Altare (1) et statim facta genuflexione, ad Celebrantem revertitur. Interim Subdiaconus amovet Velum ab humeris Celebrantis, deinde a sinistris ejusdem genuflexus sistit.

122. Posito Sacramento super Altare, Diaconus a dextris Celebrantis genuflexus manet; tunc Cantores inchoant Stropham *Tantum ergo*, et ad duos primos versus omnes se inclinant profunde: In fine autem strophae hujus (2), iterum tabula pulsatur, et Celebrans surgens cum Ministris sine osculis et benedictione thus imponit a Diacono porrectum, Thuriferario Thu-

1) Rub Miss. R. ut in fer. V. in Coen. Dni.

2) Notandum est ad rem sequens decretum S. R. C. in quo praescribitur quod genuflexio in hymnis *Veni Creator*, *Ave maris stella*, et *Pange lingua* ad *Tantum ergo* proroganda sit ad integram stropham, hinc patet quod supra dictum est, thus ministrandum esse finita stropha *Tantum ergo.*, post quam fit pausa et interim pulsatur tabula, ac deinde cantatur *Genitori.*, et thurificatur Sacramentum. En decretum: « Quia ex Caerem. Ep. L. II. etc. habetur: » omnes genuflectere debere in hymnis *Veni Creator*, » *Ave maris Stella*, et *Tantum ergo* usque ad finem » praedicti versus, an intelligatur de tota stropha sci- » licet usque ad aliam respective? S. R. C. resp. *Ad integram stropham.* d. 14. Novemb. 1676. Bitunt. Gard. (Ed.3.) n. 2805. ad 7.

ribulum tenente, et Subdiacono stante, et dexteram Pluvialis fimbriam elevante: deinde cantatur ultima stropha *Genitori*, et interim thurificatur Sacramentum, eoque tamen incensato, Diaconus in Arcula claudit Calicem cum Sacramento, (1) praemissa prius et posterius genuflexione. Quo clauso, et Diacono ad dexteram Celebrantis regresso, omnes genuflexi (exceptis Cruciferario et Ceroferariis) aliquantulum orant. (2) Interim colliguntur cerei asportantur et extinguuntur. (3) Clavis vero servanda traditur in crastinum Celebraturo, vel Caeremoniarum Magistro; nullibi vero laicis viris quantumvis Nobilibus praebeatur, ex decretis S. R. C. infra citandis. Cap. XII. n. 131.

123. Postquam igitur oraverint; Celebrante surgente, reliqui quoque consurgunt, iterumque genuflectunt, et in Chorum recta via procedentes, praecedunt Thuriferarii, post eos sequitur (4) deferens Crucem medius inter Ceroferarios habentes candelabra cum candelis accensis, deinde reliqui bini per ordinem, absque Cereis; ultimus Celebrans medius inter sacros Ministros.

124 Acolythi tandem, qui Missae solemni inservierunt, Missalia, Calicem, et reliqua omnia in Sacrario reportant. Ciborium vero, denu-

1) Rub. Miss. R. ut in fer. V. in Coena Dni.
2) Bauldry. ibidem n. 25 — Biss. super §. 17.
3) Memor. Rit. Cappucc. Tit. XIV. c. II. n. 28.
4) Bauldry. ibid. n. 26.

datis Altaribus, discooperietur, Ostiolo ipsius aperto, et Cruce remanente velo violaceo tecta.

CAPUT XII.

DE ALTARIUM DENUDATIONE (1)

125. Completa Processione, Celebrans cum Ministris deponit paramenta Missalia, ipse vero super Albam Stolam violaceam in modum Crucis ante pectus induit, Vesperis assistit in in Choro cum sacris Ministris, et Orationem *Respice* in ultimo dicit. Quod si numerus Clericorum sit copiosior, possit remanere in Sacristia, ibique, vel alibi Vesperas ex se dicere submissa voce (2). Quae vesperae dicuntur in Choro gravi voce, sine cantu, cum iisdem sex Candelis accensis. Quibus expletis et nondum extinctis super Altare Candelis, Celebrans una cum Diac. Stolam super sinistrum humerum et Subd. cum sola Alba, omnes sine Manipulis induti, cooperto capite ad Aram Principem, manibus junctis, omnes unus post ali-

1) Haec Altarium nuditas significat Christum amisisse speciem et decorem *Rupert. lib. 5. c. 35.* et vestimenta illius fuisse divisa inter milites, ut ex antiphona patet, et *idem Rupert.* colligit nudatum Christum quasi gloria Deitatis, unde Psal. *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Contemplatur *Durandus lib. VI. cap. 76. n. 3.*

2) Biss. lit. F. n. 42. §. 18. — Bauldry. ibid. n. 27.

um procedunt, praeeuntibus tribus Acolythis, inde Caeremoniario; hi quatuor detecto capite, manibusque junctis.

126. Ubi ad Altare pervenerint, Crucem cum genuflexione, Celebrans vero profunda capitis inclinatione salutant. Deinde medius inter sacros Ministros Altare ascendit, ubi incipiens denudationem, simul incipit mediocri voce sine cantu Antiphonam *Diviserunt sibi*, quam duo Cantores in Choro eadem voce prosequuntur. Tum iidem sine cantu intonant Psalmum 24. *Deus Deus meus respice in me*, quem Chorus nudo capite stans, ad finem lente celeriusve perducit pro numero Altarium, repetita in ultimo Antiphona. Si vero prius denudatione finiatur Psalmus, non ideo repetitur. quamvis curandum sit, ut una cum denudatione terminetur.

127. Celebrans autem, inchoata Antiphona, illam eodem tempore quo Chorus, cum sacris Ministris demissa voce prosequitur, ac etiam cum ipsis alternatim recitat integrum Psalmum, in cujus fine simul repetunt Antiphonam. Interim denudatur Altare et amoventur primo Tobaleae, mox Pallium, et velum album e Cruce, inde alia ornamenta, relicta dumtaxat Cruce velo violaceo obducta cum Candelabris, ad peragendas cum horis Can. reliquas functiones. Postea denudaturus pergit Sacella minora, in quibus auferuntur etiam candelabra, si adsit consuetudo (decr. ut infra dicemus n. 137.), exhibita semper debita reverentia Altari, ante et

post actionem, in qua adjuvatur tum a Sacris, tum ab inferioribus Ministris.

128. Completa Altarium denudatione totoque Psalmo et Antiphona ante Altare majus repetita, signum datur Salutationis Angelicae cum Crotalo, et interim omnes genuflexi orant. Surgunt postea omnes, et adorant unico genu Crucem, quae usque ad nonam Sabbati Sancti inclusive cum genuflexione adoratur ab omnibus etiam Celebrante, non tamen parato; qui tantum Feria VI. in Parasceve, etiamsi paratus, post denudationem Crucis et ipse Crucem adorat cum genuflexione, ex Caerem. Ep. L. II. c. XXV. n. 30. Et haec genuflexio hoc modo etiam in Cappella Papali, et a S. R. E. Cardinalibus, et ab eodem Summo Pontifice servatur, et postea discedunt. Sacrista autem cum aliis Ministris perfectius et commodius denudat Altaria, Ecclesiam. Chorum, Suggestum. Credentiam, Scamna etc. et omnia in loca sua reponit. Ciborium vel omnino nudum relinquitur, vel Conopoeo violaceo cooperitur; ejusque Ostiolum apertum semper remanet. Lampades et Cerei, si qui sunt per Ecclesiam accensi, extinguuntur, illis dumtaxat relictis, qui coram SS. Sacramento ardent. Aqua tamen lustralis e fontibus Ecclesiae removetur. Super hoc habetur decretum d. 12. Nov. 1831. in Marsorum Gard. (Ed. 3.) n. 4669. ad 60. in quo declaratur retinendam esse consuetudinem amovendi Aquam benedictam a vasis Ecclesiae in ultimo major. Hebdomadae triduo.

129. Ubi vero copiosus est Altarium numerus, eodem tempore quo Celebrans denudat Altare majus, alii Sacerdotes cotta et stola violacea induti, cum aliis Ministris inferioribus sibi servientibus, poterunt illa denudare recitando dictum Psalmum. (1)

130. Hodie Oleum Sanctum renovatur, et novum ab Episcopo dioecesano accipitur, vetere combusto, vel in Lampadibus coram Sacramento, vel in igne cum bombyce, cineribus in Sacrarium inde projectis ex Gav. in Man. Ep. Tit. Olea S. n. 11.

Sequuntur aliqua Decreta super hac sacra Actione.

131. Cum hac die Sacerdotes celebrare non possint, debeant Communionem accipere de manu sui Superioris, in memoriam quod Christus Dominus hac die manu propria Apostolos communicavit, et optime satisfaciunt Ecclesiastico praecepto de Communione sumenda in Paschate a proprio Praelato ad tenorem sequentis Decreti: « Omnes de Clero Eucharistiam sumant de manu Celebrantis in Feria » V. in Coena Domini. *S. R. C. d. 19. Sept.* » 1654 Seguntina. Gard. (Ed. 3.) n. 1734.

132. Clavis Hostiae repositae in Feria V. in Coena Domini non debet dari Laico, quantumvis Nobili. *S. R. C. d. 30. Jan. 1610.* Pæen. Gard.

1) Nicolaus de Bralion supra n. 14.

(Ed. 3.) n. 420. — S. R. C. d. 13. Septemb. 1642. Calagurit. Gard. (Ed. 3.) n. 1412.

133. Non possunt Regulares Processiones facere extra Ecclesiam in Feria V. in Coena Domini. *S. R. C. d. 11. Decem. 1613.* Aretina. Gard. (Ed. 3.) n. 481.

134. In Ecclesiis, ubi functiones major. Hebdomadae fieri nequeunt Fer. V. in Coena Domini, potest Superior Regularis celebrare Missam lectam in privato Oratorio ad ministrandam Religiosis communionem; et si desit Oratorium. fiat in Ecclesia januis clausis. *S. R.C.d.* 31 Aug. 1839. Tertii Ord. S Franc. ad 1. et 2. Gard. (Ed. 2.) n. 4724.

135. Spectat ad Episcopum permittere unam Missam in Cappellis et Oratoriis publicis, quibus reponitur SS. Sacramentum cum pompa et populi concursu. S. R. C. *d.* 7. *Sept.* 1850 *in Rupellen.* ad 16. Collect. Decr. S. R. C. Neap. edit. cura Biblioth. Cathol. Scriptor. 1855. Tit. Feria §. 2. Not. (*)

136. Si Festum S. Josephi occurrat in feria V. major. Hebdomadae, ejus Officium transferendum erit ad aliam diem juxta Rubricas Breviarii Romani, et decreta Sacr. Congr. Caeterum praeceptum audiendi Missam et vacandi ab operibus servilibus non erit transferendum, sed servandum in praedicta Feria V. adeoque per Ordinarios locorum accurate providendum, ut eo die aliquae quidem Missae privatae, ante celebrationem solitae Missae Conventualis celebrandae pro praecepto adim-

plemento non desint: sed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Missa solemni illius diei, quo Ecclesia SS. Eucharistiae Sacramenti institutionem et memoriam recolit, summa religione hactenus retentus, nullatenus omittatur. S. R. C. *d. 13. Septemb. 1692. Decr. Gen.* Gard. (Ed. 3.) n. 3289. et confirmatum ab Innocentio XII. Constit. quae incipit *Cum anno.* Idem dicendum de Annuntiatione B. M. V. *die 12 Sept. 1716. Decr. Gen.* Gard. (Ed. 3.) n. 3893. Et de quocumque alio Festo de praecepto in aliqua Dioecesi.

137. An praefatae Missae S. Josephi, vel Annuntiationis in praedicta Feria V. dici debeant cum *Gloria et Credo* sicut solemnes? — An possit in praedicto casu dici Missa S. Joseph, vel Annuntiationis saltem ubi sunt Titulares? S. R. C. resp: Ad 1. affirmative. Ad 2. negative. d. 7. Sept. 1816. *Tuden.* Gard. (Ed. 3.) n. 4526. ad 15. et 16.

138. Fer. V. in Coena Domini praescribitur tum in *Missali*, tum in *Caerem. Ep.* quod denudentur Altaria: Quaeritur utrum (excepto Altari majori in quo Vesperae et functiones reliquae peraguntur) auferri debeant etiam candelabra?

Resp. Affermative, si adsit consuetudo. Die 7. Sept. 1850. *Veronen. ad 12.* Collect. Decr. S. R. C. sup. cit. Neap. ed. ibid. n. 9.

139. Permitti potest, ut Statua B. M. V. velo nigro circumdata in nocte Feriae V. in Coena Domini cum Jesu Domino Filio mortuo

in gremium deposito in Ecclesia exponatur, et sequenti Feria VI. in mane processionaliter cum Pluvialibus nigris deferatur. S. R. C. *d. 21. Mart. 1744 Bergomen. Gard. (Ed. 3.) n. 4153. ad 6.*

140. Non licet in Ecclesiis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebratio Missae in Feria V. in Coena Domini, nec ejusdem Augustissimi Sacramenti asservatio in Sepulcro. *S. R C. d. 14. Jun.* 1659. Neapolitana. Gard. (Ed 3.) n. 1990.

141. Sacerdotes in die Coenae Domini SS. Corpus Christi sumpturi, possunt deferre Stolam ante pectus in formam Crucis accommodatam, vel a collo pendentem. *S. R. C. d. 30 Sept. 1679.* Ord. min. Capuc. Gard. (Ed. 3.) n. 2903. ad 9.

142 In secundo Triduo majoris Hebdomadae non possunt celebrari Exequiae Defunctorum; et Officium et preces recitentur privatim. S. *R. C. d.11. Aug. 1736.* Placentina. Gard. (Ed. 3.) n. 4050. et in exequiis Parvulorum potest omitti *Gloria Patri* in Psalmis, qui dicuntur pro conformitate temporis. *Eadem S. R. C. d. 16. Jan. 1677.* Hispalen. Gard. (Ed. 3.) n. 2812. ad 6.

CAPUT XIII.

DE FERIA VI. IN PARASCEVE.

143. Cum Parasceve ob Passionem, necemque Reparatoris nostri Jesu Christi dies sit luctus moeroris atque tristitiae, Ara princeps cum Suppedaneo, gradibus ejus. Scamnum pro Celebrante, ac reliqua sint penitus denudata, absque ullis imaginibus, floribus, tapetibus, aut aliis ornamentis solemnitatem sapientibus. Tabernaculum SS. Sacramenti sit pariter nudum. In medio ejusdem Altaris summo mane collocetur Crux lignea grandioris formae (si consueta parva nimis sit, quamvis haec consuetudo ubi viget toleranda non sit, utpote Rubricis contraria (1)): et haec Imaginem

1) Ad rem habenda sunt prae oculis duo S. R. C. decreta contra hujusmodi abusum. En primum: » An parva Crux cum imagine Crucifixi posita super Tabernaculum ligneum, sit sufficiens in adimplementum Rubricae volentis quod in Altari dum celebratur Missa, debeat apponi Crux in medio Candelabrorum? » S. R. C. resp. *Non est sufficiens, sed apponi debet alia Crux in medio Candelabrorum.* d. 16. Jun. 1663. Rossanen. Gard. (Ed. 3.) n. 2231. ad 1. En alterum: An, et » quibus remediis removendus sit abusus collocandi » parvam Crucem vix visibilem vel supra Taber» naculum, vel supra aliquam minorem Tabulam » sitam in medio Altaris, loco Crucis collocandae

habeat proportionatam Christi Domini e Cruce pendentis velo coopertam violaceo. Sex hinc inde disponantur Candelabra communia cum totidem Candelis ex cera communi extinctis, nihilque super Altare ponatur.

144. Gradus Altaris nudi omnino sint, sed mundissimi, et super ejusdem secundum gradum (1) tres ponantur Cussini coriacei, vel ex alia materia coloris nigri, vel violacei, parum inter se distantes, super quos Celebrans et sacri Ministri dum prostrati erunt, brachia et capita reclinent. Parentur etiam a parte Evangelii tria Legilia nuda pro decantanda Passione, et ad latus Epistolae Scamnum oblongum prorsus denudatum super quo Celebrans et sacri Ministri suo tempore sedere debeant. Item in aliquo congruo loco praeparetur tapes oblongus, seu pannus violaceus suo tempore extendendus pro adoratione Crucis; amplum insuper pulvinar ex se-

» inter Candelabra, ut Rubrica praescribit? S. R. C. resp. *Reprobandum abusum, et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat juris et facti remediis; quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux sita inter Candelabra, alia, tempore Sacrificii, apte apponatur inferius, sed visibilis tam Celebranti quam Populo.* d. 17. Sept. 1822. Dubior. Gard. (Ed. 3.) n. 4590. ad 8.

1) Memor. Rit. Bened. XIII. pro aliq. praestantior. funct. in minor. Eccl. Tit. V. c. I. §. in Alt. maj. n. 3.

rico villoso violaceo auroque elaboratum, ubi Crux erit reponenda, et velum album serico violaceo intertextum super eo explicandum. Et si prae confluentis populi multitudine per Ecclesiam sacrae Crucis imagines adorandae essent, haec omnia multiplicari poterunt, et aliae Cruces praeparari.

145. Abaco a parte Epistolae erecto Mappa linea munda superponatur, ita tamen, ut a nulla parte pendeat. Ibidem duo Missalia adsint cum Cussino tegmine nigro vestita; Bursa nigri itidem coloris cum Corporali et Purificatorio; Mappa oblonga plicata explicanda super Altare ad initium Officii; Pelvicula cum Ampullis aquae et vini cum Manutergio; vas vitreum cum purificatorio pro ablutione et extersione digitorum Celebrantis, si forte Sacramentum super Patenam deponens tetigerit; Stola latior nigri coloris, qua Diaconus utetur in decantanda ultima parte Passionis, in Processione, ac reliquo Officio usque ad finem. Collocentur denique in eo Candelabra duo Ceroferariorum cum totidem cereis ex eadem cera communi extinctis; (1) duo Thuribula cum Naviculis; velum parvum nigrum pro cooperiendo et reportando Calice ad Credentiam post Officium; sex vel quatuor candelae ex cera alba tradendae Baldachini delatoribus post regressum Processionis; Vas quoque suo tempore paretur prope eamdem Cre-

1) Caer. Episc. L. II. c. XXV, n. 2.

dentiam cum prunis ardentibus; et post denudationem Crucis Arae majoris, Crux Processionalis pariter denudata. Tandem paretur Crotalum, quod adhiberi solet in Processione ut dictum est heri, pro elevatione Hostiae, et pro signo salutationis Angelicae.

146. In Sacristia praesto sint Paramenta nigri coloris pro Celebrante et sacris Ministris, quatuor nempe Amictus, Albae, Cingula, Planetae, quorum tres sint ante pectus plicatae; prima pro Diacono, secunda pro Subdiacono Missae, et tertia pro alio Subdiacono Crucem in Processione delaturo: Stola una Diaconalis, et altera Presbyteralis cum tribus Manipulis. Item praeparentur pro tribus Diaconis, qui Passionem sunt cantaturi, tres alii Amictus, Albae, Cingula, Stolae communes, ut in dominica Palmarum, et totidem Manipuli pariter nigri coloris. Denique suis locis disponantur plures Cottae pro Magistro Caeremoniarum, Thuriferariis, Ceroferariis, Baldachinum deferentibus, et pro illis, qui Intortitia, et Umbellam deferent: et tria missalia pro Passione decantanda, vel potius tres Codices, in quibus diligenter notata sit Passio.

147. Prostremo prope Sacellum, in quo reconditum est in Sepulcro SS. Sacramentum, apponantur Baldachinum album. Item parentur in supradicto Sacello, Umbella serica, et Velum humerale albi coloris pro Supplicatione; cerei albi (1) juxta numerum Coenobitarum, et

1) Caer. Episc. Lib. II. c. XXV. n. 30.

octo intortitia ad utrumque Baldachini latus deferenda.

148. Hora competenti dicuntur in Choro horae diurnae, gravi et demissa voce ut dictum est in feria V. n. 106. sine lumine ad Altare. Et interim Superior, Digniorve ex Patribus, fusis ad Deum precibus, quin Psalmum *Quam dilecta* cum aliis recitet, Missalibus defunctorum Paramentis, (haud omissis consuetis orationibus et osculis) induitur per Diaconum et Subdiaconum, qui manipulos inde et planetas plicatas desumunt, (1) vel in Ecclesiis minoribus manipulos dumtaxat. Tum expleta Nona (2) viam versus Aram Principem dirigunt, præeunte gravi et decoro incessu Thuriferario absque Thuribulo, inde Acolythi pariter sine Candelabris cum Caeremoniario nudo capite, manibusque junctis. Succedunt Mini-

1) Caer. Episc. Lib. II. c. XXV. n. 7.

2) Notat hoc *Rupert. lib. 6. cap. 4.* quia hora nona expiravit Christus, ad cujus quasi funus nos accedimus cum Nicodemo et aliis, *Durand. lib. 6 cap. 77.* neque enim hac die Missa dicitur, *ex Innoc. I.* quia percusso pastore, dispersi sunt Apostoli, et usque ad diem Paschatis in tristitia jejunaverunt, *de cons. 3. d. 3. Sab.* Praeterea celebrare non convenit, cum hac die seipsum obtulerit Christus, *Alcuinus*, quod si Missam eam appelles, ea est more Apostolorum, ait *Amalar. lib. 4. cap. 20.* quod tamen non placet, cum hodie nulla fiat consecratio, et Missa sit praesanctificatorum.

stri sacri unus post alium, et ultimo Celebrans, manus quidem prout illi junctas habens, sed caput opertum.

149. Ad Altare perventi, omnes in recta linea in conspectu ejusdem consistunt. Mox denudatis cervicibus, omnes genuflectunt in plano unico genu, quia fulget Crucis mysterium; praeter Celebrantem tantum, qui post detectionem Crucis et ipse genuflectit, ut infra dicetur ex Caer. Ep. Inde in plano solo genibus positis, capite vero et brachiis super Cussinos in secundo Altaris gradu quidem depositos reclinatis, prolixius solito, videlicet per spatium unius *Miserere*, sic prostrati orant. Quo tempore omnes qua in Ecclesia, qua in Choro existentes pariter genuflectunt, et Deum deprecantur, quin sese prosternant.

150. Duo Acolythi una cum Caeremoniario, breviori facta oratione, assurgunt, Cruci genuflectunt, et sumpta ex Abaco Tobalea plicata oblonga, eam, exhibita prius Cruci reverentia, super Altare extendunt; ita tamen ut parum hinc inde pendeat. Caeremoniarius, Mappa explicata, Missale apertum cum Cussino nigri, vel violacei coloris cornu Epistolae superponit; ac deinde, transacto orationis tempore, ut supra, nutu admonet Celebrantem et Ministros, qui statim, quemadmodum et alii omnes, ab oratione surgunt, et amotis ab Acolythis pulvinaribus, Celebrans Altare ascendit, et in medio deosculatur, dum Ministri

sacri a tergo Celebrantis unus post alium genuflectunt.

151. Post haec Celebrans accedit ad cornu Epistolae, ubi stantibus, ut ad Introitum Missae, sacris Ministris, submissa voce legit Prophetiam sine titulo, in cujus fine non respondetur *Deo gratias*, (1) deinde Tractum. Acolythi vero apud Credentiam consistunt, et Choro se uniformant. Interim Lector aliquis Superpelliceo amictus, accepto a Caeremoniario Libro, cum ipso a sinistris comitante et assistente, accedit ad medium Altaris, et genuflectit; deinde in consueto loco Epistolae, sibi ipsi Librum sustinens, Lectionem in tono Prophetiarum sine titulo decantat, inflectendo aliquantulum vocem in fine. Advertat autem, ne praedictam Prophetiam prius cantare inchoet, quam Celebrans illam submissa voce incoeperit, et Chorus in stallis suis consederit. Qua finita, et factis iterum debitis reverentiis, revertitur ad locum suum, quin manum Celebrantis osculaturus, et ab eo benedictionem accepturus pergat, relinquendo Librum in manibus Caeremoniarii, (2) et mox a Choro cantatur Tractus: *Domine audivi . . .* quo tempore sedere valebit Celebrans cum suis Ministris super Scamnum nudum in cornu Epistolae praeparatum.

152. Finito Tractu, assurgunt omnes, et Ce-

1) Rub. Miss. R. P. I. Tit. X. n. 1.

2) Caer. Ep. L. II. c. XXV. n. 12. — Biss. lit. F. §. 8.

lebrans per breviorem viam redit ad idem cornu Epistolae , ubi retro stantibus sacris Ministris, uno post alium, absolute dicit *Oremus,* manus interim jungendo, et caput versus Crucem inclinando. Tum Diaconus a tergo Celebrantis genuflexus cantat: *Flectamus genua,* statimque omnes cum eo pariter genuflectunt, solo Celebrante excepto : Subdiaconus vero post Diaconum stans mox subdit: *Levate,* et omnes surgunt; postea Celebrans extensis manibus cantat Orationem: *Deus a quo et Judas . . .* in tono uniformi et feriali , ad quam sacri Ministri stant adhuc retro Celebrantem, prout etiam omnes in Choro stare debent capite aperto. Quod in pari casu semper eodem modo servatur.

153. Cum Celebrans dicit orationem , Subdiaconus, adjuvante secundo Acolytho, dimittit Planetam plicatam si ea utitur, Librum e manibus Caeremoniarii accipit, et cum eodem a sinistris genuflexurus vadit Altari, inde in loco consueto Lectionem cantaturus in tono Epistolae, tenens sibi Librum. Chorus interim tecto capite sedet, et Celebrans eamdem Lectionem cum subsequenti Tractu submissa voce legit, assistente sibi Diacono a dexteris, qui tamen in fine non respondet *Deo gratias* (1). Finita Epistola, canitur a Choro Tractus: *Eripe me . . .* Subdiaconus vero, genuflexione repetita, tradit Librum Caeremoniario, et resumpta Plane-

1) Rub. Miss. R. ut supra.

ta adjuvante secundo Acolytho, redit ad Altare absque osculo manus et benedictione Celebrantis; (1) ac deinde assistit a dexteris Diaconi, ut in Introitu Missae, nisi ipse Celebrans sedeat ad Tractum.

154. Dum per Chorum canitur Tractus, tres Diaconi qui Passionem sunt cantaturi, parantur in Sacristia Amictu, Alba, Cingulo, Stola Diaconali communi, et Manipulo nigri coloris; et circa finem ejusdem Tractus, eodem ordine quo dictum fuit in Dominica Palmarum, pag. 47. n. 88. et 89., ad Altare procedunt, cantantque Passionem. Cum inchoatur, assurgunt omnes, et stant detecto capite usque ad ejus finem: et Celebrans eamdem integre legit submissa voce in cornu Epistolae aliquantulum ad ipsos Cantores conversus, ut in Dominica Palmarum, assistentibus sibi sacris Ministris, ut ad Introitum Missae. Dum autem private legit: *Et inclinato Capite tradidit Spiritum*, non genuflectit, sed Passionem prosequitur; ad cujus Evangelium, seu illam partem quae loco Evangelii habetur, cum pervenerit, in eodem cornu Epistolae profunde inclinatus dicit: *Munda cor meum . . .* omisso *Jube Domne* . . . et reliquum Passionis legit, convertens se inde totum ad Cantores, et genuflectens dum Evangelista cantat: *Tradidit Spiritum,* prout dictum est supra n. 90 in Dominica Palmarum.

1) Bauldry. P. IV. c. X. art. II. n. 11. et 12.

155. Passione expleta, Cantores cum debitis reverentiis in Sacrarium se recipiunt, et omnes sedent. Diaconus vero Missae, deposita super Credentiam Planeta, sumptaque latiori Stola nigri coloris, Librum de more ad Altare defert cum debitis reverentiis, deinde genuflexus dicit: *Munda cor meum*, Librum resumit, statimque, nulla petita benedictione, ad locum consuetum vadit cum Subdiacono et duobus Acolythis sine Candelabris et Thuribulo, ubi absolute cantat reliquum Passionis in tono Evangelii. Tunc assurgunt omnes detecto capite, et Celebrans stat manibus junctis in eodem cornu Epistolae, conversa facie ad Diaconum.

156. Dicto Evangelio, Subdiaconus librum claudit, eumque tradet Caeremoniario, mox in medio genuflectunt omnes, et revertuntur ad loca sua, praetermisso osculo Libri et thurificatione Sacerdotis; et Diaconus in eodem habitu, scilicet Stola latiori remanet ad finem usque officii. Celebrans autem mox ad Altare sese convertit, et in eodem cornu Epistolae incipit absolute junctis manibus primam monitionem: *Oremus Dilectissimi* . . . in tono Praefationis ferialis ut in Missali, retro ipsum stantibus sacris Ministris prout ad orationes Missae. Qua finita extendens et jungens manus, caputque Cruci inclinans subdit: *Oremus*, Diaconus vero: *Flectamus genua*, et Subdiaconus: *Levate*, ut supra. Tum extensis manibus, in tono feriali decantat primam orationem, ritum eumdem in reliquis servando; ita ut monitiones

junctis manibus canat et in tono Praefationis, orationes vero extensis manibus, tono orationis Missae ferialis. Chorus ad easdem orationes et monitiones stat versus Altare nudo capite, genuflectens et surgens, cum opus est, ac in fine orationum respondit *Amen*, excepto ad orationem pro Judaeis, in qua non dicitur pariter: *Flectamus genua*, nec *Oremus*. In oratione pro Papa, quando nominatur, caput inclinatur: Sede autem Romana vacante, praedicta oratio et monitio omittuntur. In monitione item pro Imperatore, si nondum est coronatus, dicitur: *Oremus et pro Christianissimo electo Imperatore nostro N*. Si vero defunctus sit et Imperium vacans, dicitur: *Oremus et Pro Romano Imperio*, ut Deus.

157. In utriusque Siciliae Regno ut ex Neapolitani directorii officii monito, omissa monitione cum oratione pro Imperio Romano, dicitur monitio hoc modo: Oremus *Pro religiossimo Rege nostro. N.* et in oratione sequenti . . . *respice ad utriusque benignus Siciliae Regnum.*

CAPUT XIV.

DE DENUDATIONE, ET ADORATIONE CRUCIS.

158. Dum dicuntur ultimae orationes, Acolythi extendunt Tapete magnum, seu pannum violaceum ante gradus Altaris, vel Presbyterii, ita ut pars superior ejusdem panni sit super

infimum ejus gradum (1) super quo ponitur Pulvinar violaceum amplum cum velo pretioso, de quibus in praecedenti capite, pro Cruce desuper collocanda. Celebrans vero, cantatis orationibus, se confert cum sacris Ministris ad scamnum, ubi adjuvante Caeremoniario, Planetam una cum Subdiacono dimittit, retentis adhuc Manipulis: Diaconus autem in eodem habitu remanet. Tum Celebrans medius inter sacros Ministros accedit ad angulum posteriorem cornu Epistolae, ita ut sit quasi collateralis candelabris Altaris (2), ibique se collocat in primo gradu, versa facie ad populum. (3) Mox Diaconus, exhibita Celebranti inclinatione, ibique relicto illo cum Subdiacono a sinistris, procedit per planum ad medium Altaris, ubi genuflectit Cruci velatae, deinde ascendit in medio Altaris, ibique Crucem adjuvante Caeremoniario reverenter accipit; ac postea summa cum devotione usque ad oculos elevatam, conversa facie ad seipsum, defert Celebranti cui illam sine osculis tradit, recedens postea ad dexteram Celebrantis (4).

159. Sacerdos autem devote accepta Cruce

1) C. Ep. L. II. c. XXV. n. 22. et c. XXVI. num. 8.

2) Caer. S. R. C. Marc. Corcyr. Lib. II. c. XXV. n. 23. — c. XXVI. n. 9. etc.

3) C. Ep. L. II. c. XXV. n. 23.

4) Biss. lit. D. n. 88. §. 1. — Bauldry. P. IV. c. X. art. III. n. 2.

stans ibidem adhuc versus populum in medio Diaconi a dexteris, et Subdiaconi a sinistris ejus,ad quorum latera stant respective duo Acolythi, habensque Thuriferarium sustinentem Missale ante ipsum, sinistra manu Crucem sustinens, dextera illius summitatem, parum discooperit, idest usque ad transversam ejusdem, quin Crucifixi caput appareat, et ambabus manibus illam elevans ad altitudinem oculorum, (1) eam populo ostendit, voce gravi incipiens solus in cantu secundum Notas appositas in Missali, antiphonam: *Ecce Lignum Crucis*, stantibus interim omnibus nudo capite. Ministri inde tum sacri, tum inferiores prosequuntur cum eodem Celebrante: *in quo salus mundi pependit*, et Chorus solus respondet: *Venite adoremus*. Quo tempore omnes, etiam Diaconus et Subdiaconus, excepto solo Celebrante, genuflectunt utroque genu cum profunda capitis inclinatione (2).

160. Quibus cantatis, assurgunt omnes, et Celebrans cum Ministris accedit ad partem anteriorem anguli ejusdem cornu Epistolae, in eo

1) Caer. S.R.C. Marc. Corcyr. L. II. sect. I. c. 51.

2) Utpote Chorus cantare debeat; *Venite adoremus*, dum prostratus sit in terra, advertunt hic sacrarum rubr. Expositores quod prostratio, de qua loquitur Missale, intelligitur tantum de genuflexione, quoad Cantores, et ratio est, quia Chorus ita prostratus usque ad terram, vix cantare posset. Bauld. *supra num. 4.* Bissus *supra.* A Portu *c. II. de off. fer. VI. in Parascev. rubr. VIII. in adnot. n. 9.*

scilicet loco, ubi dicitur Introitus Missae, ibique stans medius inter Diaconum a dexteris super suppedaneum Altaris, et Subdiaconum a sinistris super gradum proximiorem suppedaneo stantes versus populum, discooperit brachium dexterum Crucis et caput imaginis Crucifixi, adjuvantibus illum sacris Ministris et Caeremoniario, si opus sit. Tum Crucem cum imagine ad populum semper conversa paulisper altius quam prius, ambabus manibus attollit, ac deinde voce etiam altiori solus incipit: *Ecce Lignum Crucis*, aliis cantantibus et adorantibus ut supra, et Choro respondente: *Venite adoremus*, ut prius, sed voce altius quam prima vice. Deinde surgunt, et Celebrans cum Ministris procedit ante medium Altaris, ubi stans ut supra, versus populum inter sacros Ministros (1) Crucem totaliter detegit, velum tradens Subdiacono, et hic Acolytho, qui illud super Abacum deponit, non prius quam cum aliis ad Credentiam perrecturus. Postea Crucem et vocem altius quam primo et secundo elevando, dicit: *Ecce Lignum Crucis*, aliis cantantibus et adorantibus, ut supra, et Choro responde: *Venite adoremus* etiam altius quam secunda vice.

161 Dicto ultimo *Venite adoremus*, omnibusque in locis suis genuflexis adhuc remanentibus. Celebrans ipse solus absque Ministris, sed comitante solo Caeremoniario, qui fimbrias Albae a sinistris elevat, cum opus est, pro-

1) Caer. Ep. L. II. c. XXV. n. 23.

cedit ad locum praeparatum per medium Altaris, nulla exhibita Altari reverentia, (1) deferens Crucem cum imagine Crucifixi ad populum conversa, ambabus manibus elevatam cum devotione, eam genuflexus reclinat supra dictum Pulvinar; interim Crux hastilis et omnes Cruces, quae sunt per Ecclesiam, non vero aliae Imagines, denudantur ab Acolythis, si commode fieri potest, vel ab aliis.

162. Aptata in loco suo Cruce, ita ut caput Crucifixi sit versus Altare, et pedes versus populum, surgit Celebrans et omnes cum illo, factaque iterum genuflexione, unico genu, cum Ministris et sacris et inferioribus stantibus in locis suis, recedit ad Scamnum nudum ad latus Epistolae praeparatum, ubi tecto capite, Planetam deponit ac Manipulum, et sedens, iterum detecto capite etiam calceamenta, adjuvantibus Acolythis. Postea Celebrans ad Crucis adorationem solus procedit, (2) detecto capite, excalceatis pedibus, manibus junctis, oculisque demissis, et gradiens lateraliter per dictum tapete seu pannum, ter cum debita distantia genuflectit utroque genu ante Crucem, aliquantulum pro unaquaque vice orando cum capitis inclinatione profunda, et secreto dicendo exempli gratia: *Adoramus te, Chri-*

1) Caer. Ep. ibid. n. 24. et c. XXVI. n. 10.
2) N. B. Potest a Caeremoniario comitari, qui cum Celebrante genuflectit in suis adorationibus, quin Crucifixi pedes deosculetur.

ste, et benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti Mundum, et demum adhuc genuflexus Crucem deosculatur. (1) Surgit inde, et facta genuflexione unico genu, per breviorem viam ad scamnum suum redit, ubi resumptis calceis et Planeta cum manipulo, tecto capite considet.

163. Postmodum, sacri Ministri, inclinatione exhibita Celebranti, depositis etiam calceamentis et manipulis (2), Crucem veneraturi una simul pergunt eodem modo quo de Celebrante dictum est: Observant tamen ad tertiam adorationem, ut unus sit ex una parte, alius ex alia genuflexus, quasi in medio Crucem habeant, et pedes Crucifixi primo Diaconus a dexteris stans osculetur, deinde Subdiaconus. Completa ab ambobus adoratione, simul assurgunt, et iterum Cruci unicum genu flectunt, atque locum suum modeste redeunt, ubi facta inclinatione

1) Hic notandum occurrit, quod majoris humilitatis est osculari pedes quam latus Crucifixi, et saltem ob reverentiam ab oris osculo abstinendum est. Nicolaus de Bralion n. 13. et idem firmant Bauldry, et Bissus *supra*. Mer. in Gav. P. IV. Tit. IX. n. 29.

2) Quamvis depositio manipuli non praecipiatur a Rub. Missalis R. et Caerem. Episc. tamen ita est observandum ex decreto S. R. C. quod est sequens: *In Adoratione Crucis Feria VI. in Parasc. debent Celebrans et Ministri deponere etiam Manipulum.* d. 15. Septemb. 1736. Toletan. Gard. (Ed. 3.) n. 4055. ad 4.

Celebranti, calceamenta reassumunt ac manipulos, et Subdiaconus etiam Planetam plicatam. Mox Diaconus a dexteris, et Subdiaconus a sinistris Celebrantis sedentes, Acolytho Missale sustinente, cum eo submissa voce legunt Improperia; eumdem ordinem servantes in hujusmodi lectione, qui, in Mem. Rit. pluries supra citatum, assignatur.

164. Adveniunt inde maxima humilitate ac devotione Religiosi bini et bini ordine suo, detractis pariter calceis, nudo capite, manibusque junctis; Sacerdotes primum, postea Diaconi et Subdiaconi, tum Caeremoniarius et Acolythi, tandem Clerici et Novitii, trina genuflexione in locis designatis Crucem adorantes, ut supra dictum est de Celebrante, et sacris Ministris. Repetita genuflexione, redeunt ad loca sua, aequali passu gradientes, et si contingat eos transire ante Celebrantem, illi se inclinant. Acolythi vero postquam Crucem adoraverint, vadunt ad Credentiam, et duo saltem alii ex Choro hinc inde remanent genuflexi prope Crucem, tum propter reverentiam ejusdem, tum ut confusionem impediant, et in auxilium sint genua flectentibus.

165. Si qui sint Praelati extranei, vel Minister Generalis nostri, vel forte alterius Ordinis (quod pariter servatur in similibus, et praecipue si forte communicari debeant) adorant etiam sine calceamentis immediate post Celebrantem, qui in hoc casu stat aperto capite, donec illi Crucis adorationem perfecerint.

166. Pro populo autem extenditur in loco idoneo, extra Presbyterium seu cancellos, tapetum cum cussino et velo, illucque Sacrista Cotta et Stola nigra paratus aliam defert Crucem, Coenobita aliquo cum superpelliceo praecedente, qui ibi genuflexus devote assistit; quod similiter observandum erit, si prae populi multitudine aliae Cruces per Ecclesiam adorandae collocentur (1). Praefati vero eo modo et ordine, quo de Clero dictum est, Crucem reverenter adorant, mares primum, deinde foeminae, (2) quin calceos deponant.

167. Ut autem decentius et pariformiter dictae stationes et adorationes tum a Clero tum a populo fiunt, tria signentur loca a Caeremoniario, (3) sic inter se distantia, ut inter unam genuflexionem et alteram, aequalis distantia intercedat. Et ut in adoratione nulla interponatur mora, nec oriatur confusio, haec serventur; Cum duo primi secundo genuflectunt, duo sequentes debent genuflectere primo; et quando illi tertio, hi secundo; et cum illi osculata Cruce lateraliter discedunt, isti genuflectent tertio, atque alii successive; ita ut qui sequuntur, succedant praecedentibus absque mora (4), neque prius ab una prostratione surgant, quam alii disce-

1) Bauldry. P. IV. c. X. art. III. n. XIX.
2) Memor. Rit. Bened. XIII. pro aliq. praestantior. funct. Tit. V. c. II. §. II. n. 16.
3) Merat. P. IV. Tit. IX. r. 12. §. XXXI.
4) Bauldry. P. IV. c. X. art. III. n. 13.

dant ab altera ad quod attendere debet Coeremoniarius. Si numerus sit impar, tres postremi simul procedent. Et interim dum incipit adoratio Crucis, per Chorum cantantur Improperia et alia quae habentur in Missali, vel in totum vel in partem, prout numerus adorantium suadebit.

168. Circa finem adorationis accenduntur cerei Altaris et Abaci huc usque extincti. Inde Diaconus surgit, et exhibita inclinatione Celebranti, ad Credentiam cum Caeremoniario accedit, e cujus manibus accepta bursa Corporalium cum Purificatorio desuper, prout in Symbolo Missae solemnis, ad Aram de more defert illam per breviorem viam. Et cum pervenerit super suppedaneum, ibi genuflectit versus Crucem, deinde Corporale extrahit, et in medio explicat, Bursam vero a parte Evangelii, et Purificatorium a latere Epistolae prope ipsum Corporale reponit. Interim Caeremoniarius, vel Acolythus Missale cum cussino a latere Epistolae ad latus Evangelii, cum debitis genuflexionibus versus Crucem, transfert, illudque relinquit apertum, cum signaculis aptatis, prope Corporale. Item eodem tempore accenduntur omnia luminaria in Sacello, ubi repositum manet Sacramentum, et ibidem praeparantur velum album oblongum pro Celebrante, et Baldachinum, Navicula cum thure, et alia necessaria. In Sacristia Superpellicea induunt, qui hastas Baldachini, Umbellam, Intortitia, et Thuribulum sunt delaturi. Subdiaconus vero,

qui Crucem in Processione gestare debet, paratur Amictu, Alba, Cingulo, et Planeta plicata nigri coloris, sine Manipulo.

169. Diaconus, explicato corporali super Altare ut supra dictum est, et comitatus a Caeremoniario, peracta Celebranti reverentia, ad locum accedit, ubi Crux reponitur, quam, praevia genuflexione unico genu, reverenter accipit, et ambabus manibus elevatam usque ad oculos reportat ad Altare, nulli reverentiam faciens. Celebrans vero surgens transeunti Cruci, simul cum Subdiacono nudo capite genuflectit utroque genu (1), sicuti et alii Ministri inferiores et omnes de Choro. Diaconus vero illam in loco suo collocat in medio ejusdem Altaris inter candelabra, adjuvante Caeremoniario; et deinde repetita genuflexione unico genu, surgit, et surgunt omnes, qui genuflexi erant; postea per breviorem viam ad Celebrantem redit, eidem se inclinat, et coopertus sedet, sedentibus omnibus. Acolythis vero pannum cum velo et cussino plicatum in loco congruo reponunt, vel in Sacristiam reportant. Si Cruces aliae per Ecclesiam sint adorationi expositae, deferuntur in Sacristiam, expleta populi adoratione, a Sacerdotibus stolis nigris super Cottam indutis, et tapetia pariter amoventur. Post haec Subdiaconus paratus ut supra in Sacristia, accedit tunc ad Presbyterium (sicuti et Sacerdotes vel Clerici pro deferendis hastis Baldachini) accipit

1) Çaer. Ep. L. II. c. XXVI. n. 11.

Crucem Processionalem denudatam, et medius inter duos Ceroferarios deferentes candelabra cum cereis accensis, firmat se cum eisdem intra Cancellos facie versa ad Altare. Item duo Thuriferarii cum Thuribulis, ante praedictum Subdiaconum se firmant usque dum ordinatur Processio ad locum Sacramenti.

CAPUT. XV.

DE PROCESSIONE SS. SACRAMENTI FERIA VI. IN PARASCEVE.

170. Pro Processione Celebrans incedat cum Casula nigri coloris, Subdiaconus cum Planeta plicata ejusdem coloris, et Diaconus cum Stola latiori itidem nigra, omnes cum Manipulis. More solito praecedant Thuriferarii cum Thuribulis et prunis accensis sine incenso in eis posito, Subdiaconus cum Cruce inter Ceroferarios cum candelis ardentibus, Religiosi omnes capitibus detectis ut fit in egressu e Sacrario, et in reditu ad ipsum, soli enim Ministri parati in hujusmodi incessu pergunt tecto capite, *ratione habita Paramentorum* S. R. C. d. 28. April. 1708. *Brachar.* Gard. (Ed. 3.) n. 3786. ad 4.; postea procedit Subdiaconus quem sequitur Diaconus, ultimo Celebrans, coopertis capitibus donec sint ante conspectum Sacramenti. Omnes in discessu ab Altari genuflectunt Cruci in medio Presbyterii, (1) et

1) Caer. Ep. L. II. XXV. n. 30.

ubi perventum fuerit ad Sacellum Sacramenti, suis in locis genua flectentes, accendant Intortitia, quae non extinguuntur nisi post sumptionem Sacramenti.

171. Singuli locum occupent, prout dictum est in capite XI. n. 120. sed primo flexis genibus profunde Sacramentum adorant ante medium Sacelli; Celebrans vero medius inter Ministros genuflectit cum ipsis utroque genu in plano, statim surgit, et in ultimo gradu genuflexus cum sacris Ministris orat aliquantulum. (1) Interim distribuuntur et accenduntur Intortitia cerae albae. Eodem tempore Diaconus accepta Clave a Caeremoniarum Magistro Capsulam aperit cum debitis genuflexionibus unico genu, et inde redit ad dexteram Celebrantis.

172. Iste assurgens cum sacris Ministris, absque benedictione, imponit incensum in duobus Thuribulis, Diacono sine osculis Naviculam ministrante, et genuflexus incensat Sacramentum triplici ductu, facta profunda inclinatione ante et post, etiam a Ministris, qui dum Celebrans thurificat Sacramentum, elevant posteriorem partem Planetae illius. (2) Postea extenditur velum album super illius humeros a Diaconuo, qui deinde ad Altare ascendens, facta genuflexione, extrahit e Capsula Calicem coo-

1) Caer. Episc. Ibid. n. 31.

2) Bauldry. P. IV. c. X. de Fer. 6. in Parascev. Art. IV. n. 1. Biss. Corset. aliique.

pertum, quem defert ad Sacerdotem genuflexum super suppedaneum Altaris, qui accepto Sacramento, (quod tenet usque ad oculos reverenter elevatum, et accommodatum ut heri) vertit se ad populum et consistit in suppedaneo. Tunc Cantores genuflexi intonant hymnum: *Vexilla Regis prodeunt . . .* quem Celebrans recitat submissa voce cum suis Ministris, et praecedentibus omnibus ordine quo venerant, exceptis Thuriferariis, qui prope Baldachinum a Sacerdotibus, vel Clericis Cotta indutis delatum, continue Sacramentum incensantibus ut heri, per breviorem viam procedunt ad Altare majus.

173. Cum Processio pervenerit ad Altare majus, Ceroferarii sine reverentia deponunt candelabra ad Credentiam, ibique genuflexi manent. Subdiaconus Crucem deferens, illam ponit a latere Epistolae, ubi facta genuflexione, in Sacristiam recedit Paramenta dimissurus. Religiosi Presbyterium ingressi, quin Cruci genuflectant, procumbunt hinc inde, vel quasi in gyrum, vel loca sumunt in stallis, si Chorus sit prope, et ante Altare; sicque dispositi remanent omnes usque ad sumptionem cum cereis accensis. Celebrans vero stans ante gradus Altaris (1) Diacono genuflexo consignat Calicem, quem super Altare in medio Corporalis collocat, et vittam sericam, cum qua velum ligatur, solvit, ac ponit a parte Epistolae, ipsumqne velum apte extendit,

1) Caer. Episc. L. II. c. XXV. n. 32.

ut in principio Missae privatae; (1) deinde genuflectit unico genu, et ad dexteram Celebrantis revertitur; dum Subdiaconus amovet velum ab humeris Celebrantis, qui cum sacris Ministris in infimo gradu genuflexus manet. Tunc Cantores inchoant stropham *O Crux* . . . qua absoluta, Celebrans cum Ministris assurgit, thus imponit in Thuribulo de more, et denuo genuflectit : interim a Cantoribus intonetur *Te fons* . . et dum cantetur haec stropha, Sacramentum Celebrans thurificat de more, (2) elevantibus Ministris partem posteriorem Planetae.

174. Sacerdotes vero, aut Clerici, qui hastas Baldachini detulerunt, relictis illis, accipiunt candelas accensas, et ante Altare ponuntur genuflexi usque ad sumptionem. Thuriferarii autem, thurificato Sacramento, genuflectunt utroque genu in medio Altaris, et postea unus, idest primus accedit ad cornu Epistolae, ubi cum Thuribulo manet, et alter in Sacristiam cum Thuribulo recedit, deinde ad Altare accedit. Saeculares tandem, si qui sint, cereos deferentes,

1) Merati P. IV. Tit. IX. §. 52. in Gav. L. c. A Portu P. III. c. II. art. III. rub. 9. adn. n. 22. Cavalieri To. IV. c. XVI. decr. IX. n. 11. Mem. Rit. maj. Hebd. Bened. VIII. ad usum Benevent. Eccl. Tit. V. c. II. §. IV. n. 1.

2) Circa adorationem ad stropham *O Crux*, et thurificationem ad stropham *Te fons*. vide quae diximus ad rem in officio praecedentis diei. c. XI. n. 122. pag. 68.

remanent extra Cancellos usque ad finem Officii cum cereis ardentibus.

CAPUT XVI.

DE MISSA PRAESANCTIFICATORUM

175. Reposito supra Altare Sacramento, eoque thurificato, Sacerdos surgens medius inter sacros Ministros, Altare conscendit, genuflectit, surgit, et retrahit se aliquantulum cum Subdiacono ad partem Evangelii. Diaconus autem in medio stans, velum Calicis removet, quod Caeremoniarius tradit Acolytho, qui illud plicatum super Credentiam reponit; item amovet Patenam, quam invertens ponit super Corporale, non subtus, et Pallam (1). Post haec Celebrans cum Ministris in medio Altaris stans Calicem accipit, et aliquantulum declinat, ut sacra Hostia ex eo defluat super Patenam, quam Diaconus elevatam tenet super Corporale. Advertat autem uterque, ne Sacramentum tangat: quo casu digitos ibidem abluit in aliquo vase, et extergit.

176. Extracta Hostia, idem Sacerdos Calicem reponit super Corporale versus cornu Epistolae, et accipiens ambabus manibus Patenam de manu Diaconi sine osculis, Hostiam sacram in medio Corporalis collocat, nihil dicens, nec cum

1) Mem. Rit. Bened. XIII. pro aliq. praestantior. funct. Tit. V. c. II. §. IV. n. 1. 2.

Patena signum Crucis efformans. (1) Inde dictam Patenam super et non subtus Corporale relinquit, (2) ob reverentiam sacrarum specierum, quas tetigit, et quarum aliquod fragmentum remanere posset in ea. Interim Subdiaconus a sinistra Celebrantis ad dexteram Diaconi se confert cum debitis genuflexionibus in locis a quo et ad quem, et non in medio; postea accepta ab Acolytho ampulla vini, tradit eam sine osculis Diacono, qui vinum in sufficienti quantitate immittit in Calicem, quem sinistra super Corporale vel Pallam elevatum tenet, quin prius vel posterius, eumdem abstergat propter sacras species. Deinde Subdiaconus parum aquae infundit, quam Sacerdos non benedicit, nec super eam orationem consuetam *Deus qui humanae substantiae* profert.

177 Mox Diaconus, praetermissis osculis, Calicem tradit Celebranti, quem ambabus manibus accipiens, statim deponit super Corporale retro Hostiam Sacram, nihil dicens, (3) neque ullum cum eo signum Crucis producens: (4) et Diaconus illum sine genuflexione,

1) Caer. Ep. L. II. c. XXVI. n. 18.— Merati. P. IV. Tit. IX. r. 13. §. LIII.

2) Mem. Rit. Bened. XIII. pro aliq. praestantior. funct. Tit. V. c. II. §. IV. n. 2.

3) Rub. Miss. Rom. ut in die. — Caer. Ep. L. II. c. XXVI. n. 18.

4) Merati P. IV. Tit. IX. r. 13. §. LIV.

(quia in Calice non est Sacramentum) sua Palla cooperit. Subdiaconus vero, impositis vino et aqua in Calicem, ad sinistram Celebrantis redit cum debitis genuflexionibus in recessu et accessu, nec Patenam sustinet; et Acolythus ampullas ad Credentiam reportat. Postmodum venit Thuriferarius, qui prius genuflectit in plano, tunc Celebrans, ministrantibus sine osculis Diacono et Thuriferario, ex Navicula ter imponit incensum in Thuribulo absque benedictione et oratione: *Per intercessionem* ; (1) et accepto Thuribulo a Diacono, qui simul cum Subdiacono posteriorem Planetae partem prope brachia hinc inde in tota Thurificatione aliquantulum elevat, altera manu infra pectus admota. (2) Tum incensat Oblata more solito, dicens submissa voce *Incensum* ✠ *istud*, Diacono interim pedem Calicis dextera tenente. Quo facto, idem Diaconus amovet Calicem de medio Altaris, illumque collocat a parte Epistolae, sed super Corporale; inde facta genuflexione, Celebrans ter de more Crucem thurificat, (3) dicens, *Dirigatur Domine*. . , et statim Diaconus Calicem in medio Corporalis reponit. Tunc iterum genuflectunt sacri Ministri, surgunt, et prosequuntur Altaris incensationem more solito, dicendo interim *elevatio* etc. et

1) Caer. Ep. L. II. c. XXV. n. 33.
2) Merati P. IV. Tit. IX. r. 13. §. LVI.
3) S. R. C. d. 5. Jul. 1698. Panormit. Gard. (Ed. 3.) n. 3478. ad 3.

quandocumque ante Sacramentum transeunt, unicum genu flectunt.

178. Thurificatione expleta, Celebrans in cornu Epistolae Thuribulum reddit Diacono, dicens, *Accendat in nobis*, quod ambabus manibus sine osculis accipiens Diaconus, statim quin Celebrantem, aliumve thurificet, (1) consignat Thuriferario, qui, facta genuflexione utroque genu, illud in Sacrarium reportat, cum amplius inservire non debeat; et inde redit ad Abacum. Tum Celebrans aliquantulum extra Altare in cornu Epistolae, versa facie ad populum, (2) lavat manus, nihil dicens (3), ministrando aquam Subdiaconus, Diaconus manutergium; et stantes Subdiaconus a dextris Celebrantis et Diaconus a sinistris, ambo tenentes faciem ad eum conversam, et terga ad populum, sic ministrant Celebranti sine osculis, sed cum debitis reverentiis ante et post. Quo facto, Celebrans ad medium Altaris revertitur, ubi genuflexione facta una cum sacris Ministris a tergo ipsius stantibus, mediocriter inclinatus, junctis manibus super Altare, dicit submissa, sed intelligibili voce (4) *In spiritu humilitatis* .... Diaconus vero mox ad Missale accedit, quod paulisper elevatum tenet. Deinde Sacerdos Aram deosculatur, ge-

1) Caer. Ep. L. II. c. XXV. n. 33.
2) Caer. Ep. ibid. n. 34.
3) Rub. Miss. R. ut in die.
4) Caer. Ep. L. II c. XXVI. n. 19.

nuflectit, surgit, et conversus ad populum in cornu Evangelii, ne terga vertat SS. Sacramento, dicit mediocri voce: *Orate*, *Fratres*, proferens reliqua verba secreto, et non respondetur *Suscipiat Dominus*, (1) et per eamdem viam revertitur ad Altaris medium, non perficiens circulum, ubi flexo iterum poplite Sacramentum adorat.

179. Mox, omissis omnibus aliis, in cantu feriali dicit: *Oremus. Praeceptis salutaribus...* junctis manibus, caput inclinans ad verbum dumtaxat *Oremus*. Prosequitur inde *Pater noster*, eodem quidem vocis tenore, sed manibus de more extensis; et tunc Diaconus, facta genuflexione ibi a sinistris Celebrantis, post tergum illius se recipit, cujus vices supplet Caeremoniarius. (2) In fine orationis Dominicae Chorus alte respondet: *Sed libera nos a malo*, et Sacerdos sub silentio dicto a seipso *Amen*, mox eadem voce, qua dixit *Pater noster*, absolute sine *Oremus*, in tono orationis Missae ferialis prosequitur: *Libera nos etc.* manibus item extensis usque ad finem, quin cum Patena ut alias, se signet, et in fine Chorus alte respondet *Amen* (3).

180. Quo dicto, Diaconus et Subdiaconus

1) Rub. Miss. R. ut in die.— Memor. Rit. Bened. XIII. pro aliq. praestantior. funct. Tit. V. c. II. §. IV. n. 13.

2) Merati ibid. §. LXII. in Gav. n. 16.

3) C. Ep. L. II. c. XXVI. n. 19.

hinc inde genua flectunt super suppedaneum pro elevatione, et Caeremoniarius super ultimum gradum lateralem cornu Evangelii. Celebrans vero devote genuflectit unico genu, deinde erectus Patenam, haud prius extersam, supponit Sacramento, quod sola dextera inter pollicem et indicem accipiens, sinistra cum Patena super Corporale retenta, (1) altius solito elevat, ita ut a populo videri possit, (2) figens semper in eum oculos; et advertens ne Corporalis limites tunc excedat. Ad cujus elevationem non elevatur Planeta a Ministris, nec fit incensatio, (3) sed ab Acolytho pulsatur Crotalum seu instrumentum ligneum ex communi praxi basilicarum Urbis (4).

181. Dum Celebrans elevatam jam Hostiam declinat, Diaconus et Subdiaconus surgunt, et ad Celebrantis dexteram ille, hic vero ad sinistram cum debitis genuflexionibus accedunt, Diaconus statim Calicem sine genuflexione discooperit: Subdiaconus vero folia Missalis vertit, cum opus est. Celebrans sacram Hostiam immediate super Calicem declinat, quin prius illam super Patenam reponat, vel genuflectat; deinde in tres dividit partes nihil dicens, quarum duas majores super Patenam collocat, tertiam vero minimam immittit in Calicem more solito,

1) Caer. Ep. L. II. c. XXVI. n. 20.
2) Caer. Ep. ibid.
3) Gavant. P. IV. Tit. IX. rub. 18. L. m.
4) Merat. ibid. §. LXV. in Gav. L. m.

sed absque signo ✠ Crucis, (1) et nihil dicens. (2) Postea Diaconus Calicem Palla cooperit, statimque omnes genuflectunt et surgunt, mutantibus inde loca sacris Ministris.

182. Tum Celebrans, praetermissis *Agnus Dei*, osculo pacis, et duabus primis orationibus, tertiam tantum *Perceptio Corporis tui ...* submissa voce dicit, stans mediocriter inclinatus, manibus junctis, et super Altare de more positis. (3) Qua dicta, genuflectit una cum sacris Ministris, et erigens se secreto maxima cum humilitate ac reverentia (4) dicit: *Panem Coelestem accipiam . . .*; quibus prolatis et non prius, Hostiam cum Patena, ut moris est, accipit, atque parum inclinatus ter de more dicit voce aliquantulum elevata: *Domine non sum dignus*, percutiens sibi dextera pectus, et secreto prosequitur: *Ut intres. . .* Deinde erectus signat se cum Sacramento, quod tenet dextera, ita tamen ut Hostia non egrediatur limites Patenae, dicens secreto: *Corpus Domini nostri...* et mediocriter se inclinans, cubitis super Altare positis, maxima cum reverentia easdem ambas partes sumit, et erectus aliquantulum in meditatione SS. Sacramenti quiescit. Ministri vero sacri inclinant se pariter, et ter percutiunt sibi pectus ni-

1) Ex decr. S. R. C. infra citando.
2) Caer. Ep. L. II. c. XXVI. n. 20.
3) Rub. Miss. R. ut in die.
4) Caer. Ep. L. II. c. XXV. n. 35.

hil dicentes, dum Celebrans profert: *Domine non sum Dignus*, ac iterum profunde sese inclinant ad Communionem Sacerdotis, prout fit in Missa solemni.

183. Brevi facta meditatione Sacramenti, Subdiaconus ad dexteram Celebrantis adhuc consistens, Calicem detegit, et tunc omnes genuflectunt. Exinde Celebrans omisso: *Quid retribuam Domino*, collectisque de more fragmentis, extergit Patenam super Calicem, quem postea accipiens, et Patenam subtus mentum ponens, immediate particulam Hostiae consecratae cum vino et aqua in Calice existentibus reverenter sumit, nihil dicens, neque cum praedicto Calice seipsum signans (1); et interim Diaconus et Subdiaconus stant profunde inclinati, deinde praetermissa purificatione, ad cornu Epistolae accedit, ubi, Subdiacono vinum et aquam fundente, digitos super Calicem de more abluit, nihil dicens. Tum extersis purificatorio digitis, sumit ablutionem in medio Altaris ut alias; interim extinguuntur intortitia a Clero delata, et ea quae sunt super Credentiam, et omnes surgunt et sedent (2).

184. Sumpta a Sacerdote ablutione, Diaconus transfert Missale ad cornu Epistolae facta in medio genuflexione, deinde Abacum petit; ubi dimissa latiori Stola, Planetam plicatam resumit; ac deinde redit ad Altare ad dexte-

1) Rubr. Miss. R. ut in die.
2) Caer. Ep. L. II. c. XXVI. n. 20.

ram Celebrantis. Subdiaconus eodem tempore ad cornu Evangelii, praevia genuflexione in medio, se confert, ubi Calicem de more extergit, et cooperit Purificatorio, Patena, Palla, et Velo parvo nigri coloris ab Acolytho prius e Credentia ad Altare delato. Tum praedictum Calicem sic opertum cum Bursa corporalium desuper, ad Abacum, praemissa genuflexione in medio, defert, ac mox redit ad sinistram Celebrantis, repetita in medio genuflexione.

185. Quibus expletis (1), Celebrans in medio Altaris inclinatus manibus junctis dicit: *Quod ore. . . .* deinde cum Ministris sacris, exhibita Altari inclinatione, descendit in planum, Cruci genuflectit, ac eodem ordine quo ad Aram venerat in principio Actionis, in Sacrarium remeat sine Candelabris et Thuribulo, Paramenta dimissurus. Tum in Choro dicuntur Vesperae gravi et humili voce, sine cantu, relictis super Altare candelis accensis, et interim denudatur Altare praefatum et Abacus, omniaque in Sacristiam asportantur. Completis Vesperis, candelae Altaris extinguuntur, et datur signum salutationis Angelicae cum Crotalo, qua ab omnibus genuflexis recitata, in silentio discedunt, Cruci genuflectentes, ac devote ad cellas suas redeunt.

1) Memor. Rit. Bened. XIII. pro aliq. praestantior. funct. Tit. V. c. II. §. IV. n. 25.

Sequuntur aliqua Decreta super hac sacra functione.

186. Celebrans in Parasceve mittat particulam in Calicem sine aliquo crucis signo, neque se signet cum Calice. S. R. C. d. 7. Aug. 1627. *Urbis*. Gard. (Ed. 3.) n. 707. ad 5.

187. Feria VI. in Parasceve Thurificanda sunt Oblata, sed post thurificationem Oblatorum, non est iterum thurificandum Sacramentum, ob cujus tamen praesentiam non est omittenda thurificatio Crucis, sed Crux et Altare thurificanda sunt eo prorsus modo, quo fit in aliis Missis, non omissis debitis genuflexionibus transeundo ante SS. Sacramentum. S. R. C. d. 5. Jul. 1698. *Panormit*. Gard. (Ed. 3.) n. 3478. ad 1. 2. 3.

188. In Processione feriae VI. in Parasceve non sunt a gestantibus hastas Baldachini adhibenda Pluvialia, sed solum Cottae. S. R. C. d. 15. Sept. 1736. *Toletana*. Gard. (Ed.3.) n. 4055. ad. 3.

189. Interrogata S. R. C. A quo, et quomodo absolvi possit Missa praesanctificatorum, si Celebrans in functione deficiat?

Respondit: Si ministrans ut Diaconus est Sacerdos et jejunus, ipse, assumpta Casula, prosequatur Officium, et Missam praesanctificatorum absolvat, et alter non jejunus Sacerdos ei succedat in munere Diaconi: quatenus vero ille sit dumtaxat in diaconatus Ordine con-

stitutus, et nemo alius adsit Sacerdos jejunus, tunc cesset Officium, et sacra Hostia reponatur in Tabernaculo, et die sequenti post sumptionem Calicis a Celebrante est sumenda.

Et ita Sanctitas sua Leo XII. in posterum in similibus servandum esse decrevit. Die 8. Mart. 1825. *Dubiorum.* Gard. (Ed. 3.) n. 4609. ad 1. 2.

190. In Parasceve si incidat festum Annuntiationis B. M. V transfertur in Ecclesia universali ad Fer. II. post Dominicam in Albis una cum praecepto audiendi Missam et vacandi ab operibus servilibus : ideoque non tenentur hac die Fideles ad audiendam Missam, seu interesse officio. S. R. C. d. 11. Mart. 1690. decr. gen. Gard. (Ed. 3.) n. 3204.

191. Non est reprobandus Parochus, qui defert SS. Viaticum infirmo feria VI. in Parasceve, dummodo privale et submissa, quinimo submississima voce recitat Psalmos consuetos per vias publicas, etiamsi dicat ℣. *Gloria Patri*, quia in tali circumstantia actio talis nullam habet connexionem cum functionibus Ecclesiae hujus diei : et considerandum est quod defert cum Stola albi coloris, quando in feria supradicta color paramentorum est niger pro Ecclesia functionibus. Ideoque si defert privatim pro aliqua necessitate, non est reprobandus, si Populum absque benedictione dimittat feria VI. in Parasceve, quia in publica Ecclesia non debet recondi. S. R. C.

d. 15 Maji. 1745. *Lucana*. Gard. (Ed. 3.) n. 4170.

CAPUT XVII.

DE SABBATO SANCTO.

192. Summo mane mundatur Ecclesia, e ornatur; parantur etiam omnia Altaria pretiosioribus ornamentis albis, sed Pallio violaceo super album, ad finem usque Litaniarum. Ara item princeps duplici omnino vestitur Pallio, interiore albo perpulchro, et exteriore violaceo facile amovendo (1). Eidem Altari sex superponuntur Candelabra cum totidem cereis albis ad initium usque Sacrificii extinctis, et Crux in medio discooperta absque tamen florum vasis, et Sanctorum Reliquis, vel eorumdem Imaginibus (2). Cono-

1) Caer. Ep. Lib. II. c. XXVII. n. 1.

2) Haec omnia in Missa tantum sollemni adhiberi possunt, ideoque tunc et non prius apponenda sunt super Altare (si adhiberi velint) videlicet in fine litaniarum cum luminaria accenduntur, et pallia violacea amoventur ab Altari et Choro, ac alba indumenta a Ministris sumuntur. Tunc enim reipsa laetitia et solemnitas in officio hujus diei habetur juxta sensum Rubricarum. Ideoque Memoriale Rituum Benedicti XIII. pro aliquot praestantior. function. persolvendis in minor. Eccles. Parochial. pluries hucusque citatum, (quodque S. R. Congr. duobus ad rem editis decretis sub

paeum pariter Tabernaculi (si adsit) sub-

—

diebus 31. Jul. 1821. Dubior. Gard. (Ed. 3.) n. 4583. ad 1., et 22. Jul. 1848. Ord. Carmelit. Excalc. Gard. (Ed. 2.) n. 4971. ad 5. sua auctoritate confirmavit,) ita se habet in expositione Officii hujus diei: *Ad ℣. Peccatores tollitur Pallium violaceum ab Altari, accenduntur candelae, et vasa florum inter candelabra apponuntur*. Tit. VI. c. II. §. VI. n. 6. Idem praecipitur in alio Memoriale Rituum ejusdem Pontificis ad usum sacrae Beneventanensis Ecclesiae, in quo Tit. VIII. c. I. §. De praeparandis in secretario hac die sub num. 5. indicantur *Vasa florum pro Altari majori*, et Cap. II. ejusdem Tit. §. VIII. n. 9. haec enumerantur praestanda in fine Litaniarum a ℣. *Peccatores*. 1. *Amovetur ex Altari majori Pallium violaceum: accenduntur candelae Altaris et Abaci, et apponuntur flores. 2. Deferuntur et collocantur in Altari statua argentea B. M. V. et ostensoria minora cum Reliquiis Sanctorum etc.* Ac demum in Caer. Fr. min. S. Francisci Cappucin. pluries quoque supra citatum, in quo Tit. XVII. c. I. *De praeparandis*: statuitur quod sit ornandum *Altare majus cum Crucifixo, et candelabris festivis sine floribus* n. 6. Et cap. II. ejusdem Tit. §. III. ubi agitur *De Prophetiis et Litaniis usque ad Missam* haec indicantur facienda a Sacrista ejusque Ministris in fine Litaniarum. *Quum ad ℣.* Peccatores *Celebrans surrexerit, statim per Sacristam aliosque Ministros, amovetur cussinus de gradibus Altaris . . . itidem removetur pallium violaceum ut appareat album... positis inter candelabra floribus festivalibus n. 11*. Quoniam vero in quampluribus Ecclesiis, nostris praesertim temporibus, Altare festivo modo solet

lus sit album supra violaceum, Baldachinum

—

a principio ornari cum floribus aliisque ornamentis, quaeque tamen ne videantur ante Missam, quod incongruum esset juxta Rubricas, magno velo seu panno superinducto tegi consuetum est; haec consuetudo ubi viget omnino improbanda non est, dummodo sequentes serventur conditiones 1. Quod superius pallium adhibitum ad tegenda candelabra et alia ornamenta super gradus mensae apte disposita et collocata sit decens, et coloris violacei, prout sunt caetera paramenta et pallia ante Missam. 2. Quod nullo modo et pacto impediat mensam Altaris, quae sit oportet penitus detecta et libera, habeatque desuper alia Crux in medio, et saltem quatuor Candelabra hinc inde cum candelis albis extinctis, nec non pulvinar cum Missali in cornu Epistolae. 3. Quod facili negotio suo tempore amoveri queat decenter et concinne. 4. Demum quod omnino removeatur ante Missam statim ac accensa sint Altaris luminaria, et amota ab Altari et Choro caetera pallia violacea et lugubria quaeque, hoc est in fine Litaniarum a ℣. *Peccatores* ad *Agnus Dei*: eo scilicet tempore quo in Sacristia Ministri sumunt paramenta alba pro Missa, ita ut ipsis ad Altare accedentibus pro Missa sollemniter cantanda, Altare videatur undique festivo modo ornatum, quin appareant amplius lugubria quaeque et violacea. *Caval. To. IV. c. XXI. decr. VI. §. 10.* Castald. *Lib. VI. Sect. VIII. c. VI. n. 10.* Quod magis expresse et clarius prae caeteris docent tum Ippolitus a Portu in suo optimo libro cui Titulus *De cultu Dei et hominum*, in quo haec habet: *Ad* ℣. Peccatores *accenduntur luminaria, removentur cussini de gradibus .... Sacrista removeat*

tamen seu Umbraculum, quod est appensum

Pallium violaceum, explicet tapete si est convolutum, deponat velum quod tegit ornamenta Altaris, et praestet si quae sunt alia. P. III. art. III. rub. X. adnot. n. 8. Tum P. Flumara in suo Caerem.Cleric.Regul. Minor. in quo pariter idipsum statuit dicens: *Cum perventum fuerit ad* ℣.Peccatores *Ministri surgunt, accedunt ad Sacrarium, et induuntur paramentis albi coloris . . . Interim per Ceroferarios remoto panno violacèo seu tapete, accenduntur luminaria in Altari. Per Acolythos ministros detegitur Altare velo serico violaceo et super eo ponitur cussinum.* P. III. c. XI. §. *Cum utem.* His hucusque summatim expositis, pro rei nunc coronide, contra detestabilem abusum detegendi Altare quando per Celebrantem intonatur *Gloria* expedit hic ad litteram referre Monitum quoddam bis repetitum in Directorio annuali Divini Officii pro Civit. et Dioec. Neap. auctoritate Emi Praesulis pro tempore D. Xysti Riario Sfortia editum tum anno 1848. tum anno 1854, ad rescindendam hac in re contrariam erroneam praxim pluribus in Ecclesiis vigentem contra Rubricarum sensum, et allatas cordatorum Liturgarum auctoritates— Monitum. « Ex Caerem. Ep. Lib. II c. XXVII.
» et XXVIII.clare deducitur quod in sabbato sancto
» a ℣. *Peccatores* usque ad finem litaniarum remo-
» veri debeant ab Altari pallia violacea, et accendi
» luminaria; ita ut quando canitur *Kyrie eleison* a
» Choro, et sacerdos cum ministris accedit ad Al-
» tare in paramentis albis, Altare jam reperiatur
» ornatum festivo modo. Quocirca esset abusus con-
» tra Rubricam hoc facere quando a Celebrante
» cantatur Hymn.Angelic. *Gloria in excelsis Deo.* »

super Altare majus, sit album a principio (1). Gradus Altaris tapetibus festivis operiuntur, sed decentius est ut remaneant nudi ad finem usque Litaniarum. In cornu Epistolae ponitur cussinum violaceum cum Missali desuper simili veste contectum. Tandem lampades extinctae ante Altare ita aptentur, ut facile suo tempore accendi possint.

193. Ad cornu Epistolae in plano apponatur Scamnum oblongum violaceo panno coopertum, aut omnino nudum, super quo collocatur Planeta cum Manipulo violacei coloris pro Celebrante, et alius Manipulus ejusdem coloris pro Diacono: sed paulo ante Missam solemnem praedictum Scamnum festivo tegatur panno. In eodem latere super Abacum ponitur Calix paratus, tectus suo velo albo et Bursa; similiter Cussinus albus pro Missa cum duobus Missalibus ejusdem coloris tectis; ampullae vini et aquae cum Manutergio, velum humerale album pro Subdiacono; et Campanulae pulsandae ad Angelicum hymnum. Ponuntur etiam super ipsum aliquae candelulae cereae, quibus uti debent Acolythi suo tempore pro accendendis lampadibus et candelis Altaris. Haec omnia cooperienda sunt ante Officium et usque ad Missam exclusive aliquo velo violaceo, deinde albo (2). Paren-

(1) Bauldry. P. IV. c. XI. de Sabb. S. art. 1. n. 1.
(2) Bauldry. ibidem n. 5.

tur ibidem prope Credentiam tres alii Cussini coriacei vel violacei, capiti Celebrantis et Ministrorum supponendi, dum sunt prostrati ad Litanias (1).

194. Ad latus Evangelii in plano, ubi nimirum cantari assolet Evangelium, aptetur Legile panno albo serico, vel auriphrygiato usque ad terram coopertum pro decantando Praeconio. Retro dictum Legile collocetur Candelabrum magnum affabre elaboratum et eminens, vel loco illius, Angeli simulacrum, quod mysterio videtur congruum, ut notat Castald. *lib. III. Sect. 7. c. I. num. 1.* (2). Cereus vero ille speciosus sit et praegrandis cerae albae, in quo intra Crucis effigiem aderunt foramina in modum Crucis disposita (3) pro infigendis in eo quinque granis incensi; infra vero dictam Crucem possunt Sancti Patroni vel Titularis aut Religionis insignia depingi (4). Praeterea prope dictum Candelabrum in plano paretur pes marmoreus vel ligneus ad sustinendam Arundinem post Ce-

1) Biss. lit. S. n. 6. §. 2.

2) Notandum est ad rem sequens S. R. Congr. decretum — « An Cereus paschalis ponendus sit » super Candelabrum, vel super Cornucopium? » S. R. C. resp. *Super distincto Candelabro in plano posito in cornu evangelii.* d. 14. Junii. 1845. Maceraten. Gard. (Ed. 2.) n. 4867. ad 2.

3) Mem. Rit. Bened. XIII. pro aliq. praestant. funct. Tit. VI. c. I. §. In Altari maj. n. 5.

4) Castaldus ibidem.

rei Paschalis benedictionem. (1) Et in medio Chori, aut Presbyterii ante Altare locetur aliud Legile nudum cum Missali desuper velo violaceo tecto pro dicendis Prophetiis.

195. In Sacristia suis disponantur locis Paramenta violacea pro Officio ante Missam, Pluviale nimirum pro Celebrante, duae Planetae plicatae pro sacris Ministris cum totidem Stolis, nec non tres Amictus, Albae, et Cingula. Pro Missa autem solemni Planeta, Dalmatica, et Tunicella cum suis stolis et manipulis albi coloris. Item praeparentur quatuor Superpellicea pro Caeremoniario et Acolythis, duo Candelabra cum totidem cereis, Crux Processionalis denudata cum Flamine pendente violacei coloris, Thuribulum cum Navicula incensi, Vas aquae lustralis cum Aspersorio, et denique pelvicula argentea, vel ex alia decenti materia, in qua quinque adsint thuris recentis grana (2), pulchre elaborata in modum nucis Pineae ferreisque clavis suffulta, et in extremitate auro, vel argento celata, modo tamen plus thuris appareat, quam alterius rei (3).

196. Pro novi ignis benedictione opportuno tempore ante Nonam paretur extra januam majorem Ecclesiae vel in atrio aut aditu ipsi-

5) Mem. Rit. ibid. n. 3.

1) Caer. Episc. Lib. II. c. XXVII. n. 3.

2) Bauldry. ibid. n. 13. — Biss. supra lit. S. n. 63. §. 10.

us (vel etiam in Claustro apud nos Regulares) mensa aliqua solo linteo mundo undequaque contecta , eique superponantur, quasi in cornu Evangelii , Missale, Dalmatica, Stola et Manipulus albi coloris pro Diacono , et alius Manipulus violaceus pro Subdiacono quasi in cornu Epistolae. Item ibidem in medio altera erigatur mensula cum desuper forcipibus ferreis, phosphoris seu lignis sulphuratis, insuper et instrumentis omnibus necessariis ad excutiendum novum ignem de silice (1), Candelulis simul nexis, ut difficilius extingui possint, necnon Vaee pro carbonibus idoneo. Paulo ante accessum Celebrantis deportetur ibidem Arundo non vero baculus , eleganter circumornata (2), ita tamen ut ex aliqua parte Arundo appareat , altitudinis competentis, in cujus cuspide tres affigantur candelae cerae albae (3), et quae in ima sui parte desinant in unam candelam , et postea distinguantur in tres quasi Ramos ex eodem trunco nascentes (4) aequaliter inter se distantes, et desinentes in triangulum. Locus autem ille , prout etiam via qua procedendum est de illo ad Altare , floribus , herbisque odoriferis , conspergatur, si commode fieri possit (5).

1) Merat. P. IV. Tit. X. §. II. in Cav. L. b.
2) Mem. Rit. ibid. §. extra Portam. n. 10.
3) Caer. Ep. Lib. II. c. XXVII. n. 1.
4) Gar, P. IV. Tit. X. rub. 5. L. m.
5) Castald. L. III. Sect. VIII. c. 1. n. 8. — Bauldry. ibid. n. 20.

197. His omnibus dispositis, datur signum cum Crotalo hora competenti, et deinde recitantur in Choro gravi et humili voce, sine cantu et sine luminibus horae minores. Et interim, dum dicitur Nona, accenduntur carbones excusso igne de lapide (1) extra Ecclesiam, veteribus extinctis in praedicto Vase; eodemque tempore Superior vel aliquis peculiari praerogativa fulgens ex Patribus in Sacristia induitur Amictu, Alba, Cingulo, Stola, et Pluviali violacei coloris per Diaconum et Subdiaconum, qui deinde Stolam et Planetas plicatas concolores sine Manipulis accipiunt, et in Ecclesiis minoribus remanent in Albis.

198. Dicta Nona, in Sacrarium se conferunt universi, et ex eo, praeviis inclinationibus, ad locum benedictionis sequenti ordine procedunt. Viam sternunt simul tres Acolythi, quorum qui est medius, defert Vas cum aqua benedicta et Aspersorio intus, ad ejus sinistram alter Acolythus qui portat pelvim elevatam ad pectus usque, in qua sunt quinque grana incensi pro Cereo benedicendo; ad dexteram vero tertius Acolythus portans Thuribulum sine igne, et Naviculam cum Incenso et Cochleario intus. Sequitur Subdiaconus Missae absque Manipulo cum Cruce sine Ceroferariis,

1) Rub. Miss. R. ut in die — Mem. Rit. Bened. XIII. pro aliq. praestantior. funct. Tit. VI. c. II. §. I. n. 1. — Caer. Ep. Lib. II. c. XXVII. n. 3.

tum Clerus per ordinem, postea Caeremoniarius, denique Celebrans cum Diacono sine Manipulo a sinistris, Pluvialis fimbriam elevante. Procedunt autem omnes nudo capite (excepto Celebrante et Diacono paratis) et Cruci Arae principis genuflectunt, demptis pariter Sacerdote parato, qui eidem profunde tantum detecto capite se inclinat, et Subdiacono de Cruce, qui nullam exhibet reverentiam.

199. Cum ad locum extra Ecclesiam designatum pervenerit Subdiaconus, sistit se ad Ecclesiae ejusdem januam in medio ei renes vertens, faciem vero suam et Crucifixi imaginem Celebranti. Clerus autem hinc inde, vel quasi in gyrum disponitur, ita ut juniores Cruci viciniores sint, et seniores Celebranti; qui Celebrans sic se locat ante mensulam ibidem praeparatam, ut Subdiaconi Crucem directe respiciat, Diaconus vero a dextris ejus se ponit, paulo tamen post eum, et a sinistris Caeremoniarius; tres Acolythi ad dexteram Diaconi, videlicet ille qui de granis Incensi post eum, ad dexteram ejus alter de thuribulo, et ad dexteram Thuriferarii ille de aqua benedicta (1). Quibus sic dispositis, Celebrans nudo capite, manibusque junctis benedicit novum ignem in Vase super mensulam ante se paratum, clare et intelligibili voce dicens in directum sine can-

1) Bauldry. ibid. n. 6. — Bissus ibid. n. 6. §. IV.

tu, ex Libro (quem Acolythus aliquis tenet supra caput ante eum) *Dominus vobiscum* cum tribus subsequentibus orationibus, prout in Missali, et dum format signum ✠ Crucis, Diaconus a dexteris anteriorem Pluvialis fimbriam elevat, et in fine orationum Chorus eodem vocis tono respondet *Amen.*

200. Igne novo benedicto, ante Celebrantem cum inclinatione accedit Clericus elevatam ad pectus Pelviculam sustinens ambabus manibus cum quinque Incensi granis. Tum Celebrans, non praemisso *Dominus vobiscum* neque *Oremus*, quasi novam conjungens benedictionem thuris cum illa praecedenti ignis, eodem vocis tenore legit orationem: *Veniat quaesumus*; quo tempore Thuriferarius acceptis forcipibus, prunas ardentes jam benedictas in Thuribulum imponit, ac deinde prope Celebrantem se recipit. Supradicta oratione expleta, Sacerdos, ministrante Diacono cum solitis osculis, thus immittit in Thuribulum, et benedicit more solito, dicens: *Ab illo benedicaris* . . : . Deinde accedit Acolythus cum Vase aquae benedictae; et accepto de manibus Diaconi Aspersorio cum solitis osculis Aspersorii et manus Celebrantis, ter praedicta grana Incensi, et ter novum ignem aspergit, in medio, a dextris, et a sinistris eorum, dicens interim submissa voce antiphonam: *Asperges me* sine cantu et sine psalmo, et ter simili modo, nihil dicens, adolet Incenso.

201. Finita ignis incensatione, Diaconus, (qui debet esse ille idem, qui in Missa et Officio inservire debet et non alius ad hanc solam functionem, et ad cantandum tantummodo Praeconium *Exultet*, ut male multi faciunt contra Rubricas Missalis pluries a S. R. C. peculiaribus decretis confirmatas hac in re, contra abusum plurium Ecclesiarum (1)) recepto a Celebrante Thuribulo cum debitis osculis, redditoque Thuriferario, transit ad sinistram Celebrantis, et adjuvante aliquo Acolytho, depositis super mensam omnibus Paramentis violaceis, assumit Manipulum, Stolam, et Dalmaticam albi coloris nihil dicens; Subdiaconus hic vero assumit Manipulum violaceum (2). Interim accenduntur Candelulae, una vel plures de novo igne, ut lumina universa Ecclesiae suo tempore accendantur.

202. Diaconus vestimentis indutus albis, ad dexteram Celebrantis redit, ut eidem in impositione Thuris de more ministret. Advertat autem Celebrans talem Incensi quantitatem in

1) En ad rem Decretum S. R. C. ultimo editum — « An tolerandus sit usus ut in Sabbato sancto Praeconium decantetur ab alio Diacono diverso ab illo, qui Missae inservit, adeo ut duo sint Diaconi, alter Missae, alter vero Praeconii? » S. R. C. resp. *Usum esse contrarium decretis S. R. C.* d. 22. Jul. 1848. Florentina. Gard. (Ed. 2.) n. 4965. ad 4.

2) Caer. Ep. L. II. c. XXVIII. §. 1.

Thuribulum immittendam esse, ut sufficiat pro Processione et Thurificatione Libri, cum Thus aliud imponi non debeat, prius quam Diaconus Praeconium cantet (1). Imposito Incenso redditaque Thuriferario Navicula, Diaconus dextera accipit Arundinem ipsi a Caeremoniario delatam, et sequenti ordine dirigitur Supplicatio. Praecedit Turiferarius cum Thuribulo fumigante, ad cujus sinistram incedit Acolythus cum bacili, et granis Incensi, quod ambabus manibus elevatum defert. Sequitur Subdiaconus solus cum Cruce, tum Clerus per ordinem; exinde Diaconus elatam Arundinem gestans cum Clerico, qui prius de Aqua lustrali inserviebat, ad ejus sinistram gerente candelulam, vel duas simul nexas de novo igne accensas. Ultimus omnium procedit Celebrans manibus junctis cum Caeremoniario a latere ejus. Omnes detecto capite procedant, excepto Celebrante. Interim dum cantatur *Exultet* asportantur per aliquos Ministros reliqua, quae relicta erant extra Ecclesiam, nimirum ignis, vas aquae benedictae, forcipes, et alia quae ibidem sunt. Paramenta violacea Diaconi reponuntur ad Credentiam, ut cantato Praeconio, mox ea resumere queat (2).

203. Cum Diaconus Ecclesiam fuerit ingressus, et post eum Celebrans (ut possit etiam

1) Caval. To. IV. c. XXI. decr. III. §. XIV — Merati P. IV. §. VII. rub. n. 4.

2) Biss. ibid. §. IX. Bauldry. ibid. n. 11.

hic intra Ecclesiam genuflectere), sistunt se omnes, tunc Diaconus caute Arundinem inclinat versus Acolythum deferentem candelam accensam de novo igne, iste accendit unam ex tribus candelis in summitate Arundinis positis. Quo facto Diaconus Arundinem elevat, postea genuflectit utroque genu, et cum ipso genuflectunt omnes (excepto solo Subdiacono Crucem deferente (1)) cantat ipse solus mediocri tono: *Lumen Christi*, cui Clerus adhuc genuflexus eodem vocis tono respondet: *Deo gratias.* Tum assurgunt omnes, ulterius procedunt, et cum Diaconus ad Ecclesiae medium devenerit, iterum sistunt universi, et altera accenditur candela, ut prius, eodem modo ipse Diaconus cum omnibus, excepto Subdiacono, genuflexus altiori pariter voce (2) canit *Lumen Christi*, Choro postea respondente: *Deo gratias.* Tandem versus Altare majus pergunt, et cum ante cujus infimum gradum in plano perventi fuerint Thuriferarius et Acolythus de granis incensi, se sistunt omnes, et tunc Diaconus tertio inclinat Arundinem, et per Acolythum ultima accenditur candela, postea genuflexus elevans altius vocem per ultimum cantat: *Lumen Christi*, cui omnes, ut supra, genuflexi respondent: *Deo gratias.*

Responso tertio *Deo gratias*, omnes locum suum petunt, nimirum Thuriferarius in cornu

1) Caer. Ep. Lib. II. c. XXVII. n. 7.
2) Rub. Miss. R. ut in die

Epistolae ad angulum inferioris gradus in plano, Acolythus de granis incensi in cornu Evangelii pariter ad angulum: Subdiaconus Crucem deferens ad sinistram Thuriferarii, Acolythus, qui portat candelulam accensam, eam extinguit, et postquam de manu Diaconi acceperit Arundinem, se collocat ad dexteram Acolythi de granis incensi: Diaconus in cornu Evangelii quasi retro et post Acolythum sustinentem Arundinem, ita tamen ut Celebrans commode transire possit inter ipsum et Cruciferum, ut ascendat ad Altare. Coenobitae recedunt ad Chorum cum debitis reverentiis, Celebrans vero Aram conscendit, eamque osculatur in medio, ac deinde se recipit ad cornu Epistolae, ubi stat conversus ad Altare donec benedictionem impertiatur Diacono.

204. Quibus sic dispositis, Diaconus accipit de manu Caeremoniarii Librum, ascendit ad supremum Altaris gradum, ubi fere in medio superoram suppedanei genuflexus non ministrans de novo incensum, neque praemittens *Munda cor meum* . . . absolute petit benedictionem a Celebrante stante in cornu Epistolae versa facie ad ipsum Diaconum, dicendo: *Jube Domne benedicere*, cui Sacerdos respondet: *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ut digne et competenter annunties suum Paschale Praeconium. In nomine Patris, et Filii* ✠, *et Spiritus Sancti, Amen.* Et interim dextera eum benedicit, et Diaconus deosculatur ma-

num ejus more solito (1), statimque ad Altare, ut prius, se convertit.

1) *Sicut volunt omnes fere Rubricistae*, ait ad rem Meratus P. IV. Tit. X. §. VI. n. 20. in Gav. L. r. Ita enim praescribunt Bauld. P. IV. c. XI. art. III. n. 1. A Portu P. III. c. III. art. II. rub. 22. n. 23. Castaldus Lib. III. sect. VIII. c. III. n. 1. Turrinus P. III. sect. II. c. III.— Aliique contra eos, qui ex Caerem. Ep. Lib. II. c.XXVII.n. 9. contrarium insinuant. Nam Caerem. Ep. expresse praecipit quod in fine Prophetiarum Lectores (singuli ad singulas) accedere tenentur ad Episcopum ut ejus manum deosculentur ibid. n. 13. Quoniam vero sollemniori ritu canitur Praeconium quam Prophetiae, exinde patet non esse manus osculum omittendum in sollemni ritu benedictionis, quae cantum Praeconii praecedit. Quod si Caerem. Ep. ibid. n. 9. ait; *Diaconus petit ab eo (Episcopo) benedictionem absque osculo manus*, hoc est quia in consueta benedictione ad Evangelium Diaconus nec etiam osculatur manum Episcopi, stat enim in plano ante gradus Sedis Episcopalis, cum ab Episcopo benedicitur. Hinc in Presbyteralibus functionibus non est omittendum manus Celebrantis osculum hac die in benedictione pro decantando Praeconio : quod satis expresse innuere videtur Rub. Miss. ut in die cum dicit: *Diaconus accipiens librum petit a Celebrante benedictionem ut fit ad Evangelium.* Atqui ad Evangelium cum accipitur benedictio in functionibus Presbyteralibus deosculatur Celebrantis manum. Ergo et in hac functione pro Praeconio sollemni ritu et in paramentis albis decantando.

CAPUT XVIII.

DE CEREI BENEDICTIONE, PROPHETIIS, ET LITANIIS

205. Diaconus accepta benedictione cum osculo manus ut dictum est, descendit in planum, ibique in medio genuflectit una cum aliis Ministris; exceptis Subdiacono et Acolytho Crucem et Arundinem deferentibus; tum ad legile paratum in cornu Evangelii se omnes convertunt, ad eumque se dirigunt pro cantando Praeconio hoc ordine. Primus omnium incedit Acolythus cum quinque granis, sequitur deinde Acolythus Arundinis, Diaconus cum libro, Subdiaconus cum Cruce, et Thuriferarius unus post alium.

206. Cum ad locum designatum pervenerint, omnes eodem modo et ordine se collocant, hoc est Diaconus in medio ante legile ornatum super quod librum apertum ponit. Subdiaconus cum imagine Crucifixi tunc versa ad Celebrantem (1), locum sumit prope Diaconum a dexteris ejus, et a dexteris Subdiaconi Thuriferarius. Minister autem de Arundine stat a sinistris Diaconi, et a sinistris ejus alter Acolythus cum granis: omnes vertentes faciem prout ipse Diaconus, et rectam cum eo efformantes lineam, ita tamen

1) Caer. Episc. L. II. c. XXVII. §. 10.

ut latera, non terga vertant Altari (1). Quibus sic dispositis, Diaconus, accepto de manibus Thuriferarii Thuribulo absque osculis, prius Librum triplici ductu incensat ut ad Evangelium, ac deinde Thuribulum reddit Clerico, qui ad locum suum, nempe ad dexteram Subdiaconi mox redit. Tum Diaconus, praetermisso supra Librum et seipsum signo ✠ Crucis, alta et sonora voce manibus junctis incipit absolute in cantu Praeconium *Exultet*. Quo vix inchoato, assurgunt omnes, stantque versus Altare, detectis cervicibus, Celebrans vero mox se convertit ad Diaconum, et consistit in latere Epistolae, manibus junctis ut ad Evangelium, habens post se primum Caeremoniarium (2).

207. Post verba illa *Curvat imperia*, Diaconus cantum intermittit, et comite Acolytho de granis incensi et Caeremoniario, accedit ad Cereum, in quo quinque thuris grana infigit in modum ✠ Crucis, quae faciem Cele-

1

brantis respiciat, (3) hoc ordine: 4 2 5 prout

3

describit Mem. Rit. scilicet primum in superiori parte, alterum in media, tertium in

1) Rub. Missal. R. ut in die — Caer. Ep. ibid. §. 10 — Bauldry. P. IV. c. XI. art. III. n. 3. — Gav. P. IV. Tit. X. in Rub. 6. lit. S. — Mer. P. IV. Tit. X. n. 21.

2) Bauldry. ibid. n. 4, — Biss. ibid. §. 2.

3) Caer. Ep. L. II. c. XXVII. n. 10.

inferiori, quartum in dextera Cerei, quintum in sinistra; et interim Chorus sedere potest, si velit, non vero Celebrans. Exinde Minister de granis, deposita super Abacum pelvicula, ex eoque accepta candelula pridem extincta, ad locum suum, idest ad sinistram Acolythi de Arundine illico revertitur, ut cum opus fuerit lampades accendat. Diaconus vero, infixis granis incensi, cum Caeremoniario a sinistris ejus redit ad Librum, et surgentibus cunctis de Choro, prosequitur: *In hujus igitur* usque ad illa verba *rutilans ignis accendit* inclusive; quibus dictis iterum Chorus in stallis considet, si velit, et ipse Diaconus; cum Ministro de Arundine et Caeremoniario, denuo vadit ad Cereum quem cum una ex tribus candelis in ipsa Arundine positis immediate accendit. Quod si commode Cereus super Candelabrum accendi nequeat a Diacono, Acolythus amovebit illum de Candelabro, et ad Diaconum defert, ut illum inflammet. Postea pristina repetunt loca, et Diaconus, erectis omnibus, sequitur: *Qui licet sit divisus* . . .

208. Dicto *Apis mater eduxit*, Diaconus cessat aliquantulum a cantu, et Choro sedente, si velit, Acolythus qui supra, sumpto cum Candelula lumine de Cereo, vel de candelis Arundinis, proximas tantum lampades accendit, quibus accensis, ac deinde omnibus surgentibus, Diaconus cantum resumit ab illis verbis: *O vere beata Nox*, Sacrista interim alias lampades remotas ex eodem Cereo accendit.

209. Circa finem benedictionis semper exprimitur nomen Papae viventis cum inclinatione capitis simul ab omnibus Ministris Altaris: Sede autem Romana vacante omittuntur verba illa *Beatissimo Papa nostro*, et dicitur *Una cum Antistite nostro N.* absque ulla capitis inclinatione, nisi ratione Sedis Episcopalis vacantis praetermittendum pariter foret nomen Episcopi Dioecesani. Additur etiam nomen Regis viventis, loco Romani Imperatoris ut in Missali, ubi adest privilegium ex Apostolica concessione juxta id quod praescribitur in peculiaribus Dioecesuum Directoriis pro Divino officio persolvendo.

210. Expleto Praeconii cantu, omnes inde Ministri recedunt cum debitis reverentiis, et Chorus sedet. Thuriferarius Naviculam cum Thuribulo in Sacrarium reponit, statimque ad Credentiam revertitur, Acolythus Arundinem firmat super basem suam a latere Evangelii non procul a Cereo pridem praeparatam, ac deinde Ministrorum scamnum petit, Subdiaconus vero Crucem in loco congruo reponit, et Diaconus, clauso Missali, quin Celebrans illud osculetur, vel thurificetur, cum Subdiacono a sinistris ejus manibus junctis genuflectunt in medio Altaris, et ad scamnum se conferunt, ubi Celebrans, dimisso Pluviali, et Diaconus Paramentis albis, Manipulum ille Planetamque violacei coloris induit, dicens orationes respondentes, iste vero Manipulum Stolam Diaconalem et Planetam plicatam ejus-

dem coloris, et adjuvantur ab Acolythis, qui sacras inde vestes in Sacristiam reportant. Eodem tempore asportatur Legile cum suo libro in quo cantatum est Praeconium, aliudque vel idem Legile denudatum (1) collocatur ante medium Altaris vel in medio Chori, ut ab omnibus audiri queat Lector, cum Missali desuper tegmine violaceo obducto. Celebrans vero et sacri Ministri, statim ac indumentis violaceis fuerint amicti, ad Altare in cornu Epistolae se conferunt per breviorem, ubi Celebrans, dum a Lectore cantantur Prophetiae, eas submissa voce legit, adstantibus Diacono et Subdiacono, ut in Introitu Missae.

211. Caeremoniarius, omnibus ut supra dispositis, accedit ad juniorem Coenobitam, factaque ab invicem inclinatione, praecedente ipso Caeremoniario, ad Legile pergunt, manus tenentes junctas ante pectus, assurgentibus ei interim omnibus aequalibus et inferioribus. Tum ambo genuflexionem Cruci, Choro autem ab utraque parte reverentiam exhibent, et Lector propius accedens ad Legile, manus hinc inde super librum extensas ponit, omnibusque consedentibus, primam Prophetiam sine titulo intelligibili voce, decantat in tono consueto Romano, non morose sed expedite, ne in cantando sit taedio audientibus, ut admonet Castaldus in Praxi Caerem. lib. 3. sect. 8.

1) Caer. Ep. L. II. c. XXVII. n. 5.

cap. 3. num. 8. Qua expleta, ibidem cum Caeremoniario genuflectit, donec Subdiaconus dixerit *Levate*, vel subsequente Tractu, immediate post debitas Altari et Choro reverentias ad suum Subsellium revertitur, manibus junctis et comite eodem Caeremoniario cum solitis postea inclinationibus ad invicem, quae omnia in reliquis pariter observantur. Singulae autem Prophetiae a singulis, si fieri potest, Religiosis decantentur per ordinem, junioribus primum deinde senioribus (1). Si tamen necessitas cogat unum plures Prophetias legere, id non continuatim sed cum interruptione quorumdam fiat, et ita ut qui fortiori voce pollent, longiores ipsi decantent. Caeremoniarius autem, vel qui vices illius gerit, nullam canere debet Prophetiam.

212. Si sedere voluerit Celebrans post lectam ab ipso Prophetiam donec compleatur a Cantore, facta prius ibidem cum sacris Ministris inclinatione Cruci, per breviorem viam nudo capite ad Scamnum in latere Epistolae praeparatum procedit; ubi medius inter Diaconum et Subdiaconum considet tecto capite, et circa finem Prophetiae vel Tractus, iterum per eamdem viam breviorem accedit cum Ministris aperto capite ad Altare. Idem Celebrans manus jungens, caputque Cruci inclinans cantat *Oremus*, et Diaconus a tergo illius genu-

1) Caer Epist. L. II. c. XXVIII. n. 5. — Merat, P. IV. Tit. X. n. 30.

flexus *Flectamus genua*, et omnes genuflectunt, excepto Celebrante (1) ; Subdiaconus vero post Diaconum erectus dicit *Levate* , et surgunt cuncti. Tunc Celebrans prosequitur orationes manibus extensis in tono feriali, stantibus universis nudo capite. Sed ante ultimam orationem non praemittitur *Flectamus genua*, nec *Levate*, sed tantum *Oremus*.

213. Absoluta ultima Prophetia cum sua oratione, Acolythi amovent Legile cum Missali, et hinc inde super secundum Altaris gradum aequali distantia tres praeparant Cussinos coriaceos, seu violaceos. Celebrans vero et Ministri e locis suis, exhibita Cruci reverentia,pergunt ad Credentiam,seu potius ad Scamnum, ibique Planetas deponunt, adjuvantibus Caeremoniario et Acolythis, retentis Stolis et Manipulis, ac deinde per planum ad medium Altaris accedunt, ubi facta prius Cruci genuflexione, Celebrans vero debita reverentia, procumbunt ut heri super gradus Altaris, superponentes capita sua praedictis Pulvinaribus. Clerici autem juxta Abacum , et reliqui in locis suis genuflectunt tantum , quin sese prosternant. Tunc et non prius bini Cantores superpelliceati , (vel sine) ac voce aequali , ex libro ante se posito super scabellum Litanias in medio Chori genuflexi inchoant , et prosequuntur , utroque Choro idem simul respondente (2), hoc est rit. dupl.

1) Rubr. Miss. R. P. I. T. XVII. n. 3.
2) Rub. Miss. R. ut in die.

Praedictae autem Litaniae absque ulla detractione, additione, vel immutatione decantantur, prout in Missali; nec versus *per Sanctam Resurrectionem tuam* geminatur: additur tamen, ubi non adsit, nomen *S. Joseph* immediate post *S. Joannem Baptistam.*

214. Cum perventum fuerit ad ℣. *Peccatores*, reliqua morosius decantantur, ne silentium Litanias inter et Missam ponatur (1). Celebrans vero et Ministri assurgunt, et peracta Altari debita reverentia, et ab omnibus genuflexione unico genu, sic in albis ad Sacrarium Paramenta alba pretiosa sumpturi pergunt tecto capite, manibusque junctis, unus post alium, præeuntibus Thuriferario sine Thuribulo, et Ceroferariis simul absque Candelabris, deinde Caeremoniario, nudo capite, manibusque junctis. Interim alii Ministri cussinos ab Altaris gradibus removent, et super eos tapetum festivum extendunt, accendunt cereos ejusdem huc usque extinctos, scamnum Celebrantis exornant, Pallium et Conopaeum Tabernaculi violacea tollunt, ut appareant alba. Item velum quod tegit candelabra aliaque Altaris ornamenta super gradus mensae disposita, si adsit, deponunt, ut supra dictum est; ac denique omnia pro Missarum solemniis requisita praeparantur. Rursus, ex-

1) Merati P. IV. tit. X. n. 49.

pletis Litaniis, discooperiunt imagines per Ecclesiam (1), si fieri nequeat post Hymn. Gloria.

CAPUT XIX.

DE MISSA, ET VESPERIS HUJUS SABBATI.

215. Celebrans et Ministri sacri, sumptis Missalibus indumentis, ad Altare pro Missa solemni celebranda ordine solito procedunt, ibique Sacrum de more inchoant cum Psalmo *Iudica me Deus, et Gloria Patri* (2), et interim solemniter cantantur in Choro *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, et *Kyrie* novies toti cantati alternatim (quia organum silet) et cum pausa convenienti, donec tempus intonandi Hymnum Angelicum advenerit. Celebrans, finita Confessione, Altare conscendit, illudque in medio osculatur, et imposito thure incensat, ut moris est. Tum ipse thurificatur a Diacono, et ibidem ad Aram conversus novies recitat cum Ministri *Kyrie eleison* submissa voce; quibus ab eo et a Choro finitis, solemniter de more intonat in medio Altaris *Gloria in Excelsis Deo*, et illico pulsantur Organa, et ab Acolythis campanulae ibi praeparatae, et ab aliis campanae, quae sunt intra parietes Ecclesiae: nec debet

1) Bauldry. P. IX. c. XI. art. 10. n. 11. — Biss. lit. S. n. 6. §. 17. — Merati ibid.
2) Rub. Miss. R. ut in die.

cessare sonitus campanarum, donec omnino absolvatur hymnus praedictus (1). Campanae vero majores in Turri campanaria non debent pulsari, nisi jam dato signo a Cathedrali vel matrice Ecclesia, ut ex decretis infra referendis n. 221. 222 et 223.

216. Postquam desierit omnino campanularum sonitus, Chorus prosequitur hymnum, Celebrans in suo ornato Scamno assidet. Ad finem hymni, surgentibus Clericis et deinde sacris Ministris, surgit et Celebrans e suo Scamno, et vadit cum Ministris sacris ad medium Altaris per longiorem viam cum debitis reverentiis Choro et Altari, et peragit omnia ut in aliis Missis, deinde orationem cantat, stantibus universis (2), finita Epistola, Subdiaconus osculatur de more manum Celebrantis, et ab eo benedictionem accipit; deinde et non prius ipse Celebrans stans adhuc in cornu Epistolae cum Ministris sacris ut ad Introitum, ter solus decantat *Alleluja*, semper elevando vocem gradatim, et Chorus post quamlibet vicem in eodem tono et voce illud idem repetit. Decantato autem tertio *Alleluja*, Chorus prosequitur ℣. *Confitemini etc.* et Tractum *Laudate Dominum etc.* Ita etiam Celebrans dicto tertio *Alleluja*, legit submissa voce praedictum ℣. et Tractum (3). Evange-

(1) Bauldry. P. IV. c. XI. art. V. n. 11.
2) Bissus lit. G. n. 29. §. 10.
3) Turr. P. III. sect. II. c. III. §. *Cantata Ep.* Corsett. de Sab. S. Tr. I. c. VIII. n. 21. et alii.

lium more solito cantatur a Diacono, petitur benedictio , et adhibetur Incensum ; sed Ceroferarii stant hinc inde a lateribus Subdiaconi manibus junctis sine candelabris , et signant se cum Diacono , cum non sint impediti. In hac Missa praetermittuntur *Symbolum , Offertorium*, (non tamen *Oremus*) *Pacis osculum*, *Agnus Dei* , et *Postcommunio.*

217. Facta a Celebrante purificatione , et ablutione , Cantor accedit cum debitis reverentiis ad digniorem de Choro, eique de more praeintonat antiphonam : *Alleluja* , quam statim ipse Dignior absque signo Crucis intonat, et Chorus eam bis repetit. Tum duo Cantores in medio consistentes intonant Psalmum *Laudate Dominum omnes Gentes etc.* quem ceteri alternatim absolvunt cum *Gloria Patri* in fine, et cum repetitione praefatae antiphonae. Celebrans vero , sumpta ablutione , accedit ad cornu Epistolae, ubi adhuc retenta Planeta , nuper memoratam antiphonam et psalmum , loco Postcommunionis dicit submissa voce cum sacris Ministris stantibus , ut ad introitum Missae. Deinde Celebrans, repetitis in Choro *Alleluja*, mox praeintonatam sibi ab aliquo Cantore , si moris est, antiphonam *ad Magnificat*, nempe *Vespere autem Sabbati*, in eodem cornu Epistolae illam intonat, quam postea ipse cum Ministris submissa voce prosequitur, et Chorus in cantu.

218. Expleta per Chorum antiphona , iidem Cantores. qui supra, solemniter intonant cum signo Crucis Canticum *Magnificat*, Choro alter-

natim prosequente. Et Celebrans, facto sibi ibidem cum Ministris signo Crucis a fronte ad pectus, statim cum iisdem accedit ad medium Altaris, ubi post reverentiam Cruci, imponit et benedicit thus de more; ac deinde Altare thurificat, prout initio Missae, sacris Ministris hinc inde posteriorem Planetae partem elevantibus. Quo facto, ipse Celebrans thurificatur a Diacono in cornu Epistolae, stante Subdiacono a sinistris ejus, ut in introitu Missae. Exinde Diaconus Thuribulum prae manibus habens, Chorum de more thurificaturus procedit, praeeunte Thuriferario; tum ad Altare reversus Subdiaconum stantem a dexteris Celebrantis incensat in cornu Epistolae in plano, et ipse pari ritu stans a dextris Celebrantis in cornu Epistolae in secundo gradu Altaris Incensum accipit a Thuriferario, qui Acolythos inde et Populum thurificat. Postea facta genuflexione Altari, vadit in Sacristiam ubi deponit Thuribulum et Naviculam, et redit ad Altare (1).

219. Celebrans vero, thure accepto, ad Aram sese convertit, ibique stans in eodem cornu Epistolae incipit et perficit alternatim cum Subdiacono stante a dextris ejus Canticum *Magnificat* cum *Gloria Patri* et repetitione antiphonae: nec inde se movet, donec in Choro expletus sit cantus. Tunc accedit ad medium Altaris cum Ministris a tergo, et eo osculato, ad Populum conversus cantat: *Dominus vobiscum*, et

1) Bissus, ibid. §. I.—Bauldry. ibid. n. 18. et 19.

prosequitur Missam more solito, hoc tantum addito, quod Diaconus dicit: *Ite Missa est* cum duplici *Alleluja* (1). Sacra tandem Actione completa, in Sacrarium redeunt, ubi facta Cruci vel Imagini nudo capite reverentia, dimissisque Paramentis, mutua sibi gaudia Paschalia annuntiant, et laeti in Domino discedunt.

220. Post Missam Sacerdos aliquis Cotta Stola et Velo humerali albi coloris indutus, e loco ubi Feria V. fuit reposita Pyxis cum Particulis consecratis pro infirmis, reportat sub Umbella ipsam Pyxidem, praecendentibus Clericis cum intortitiis, ad suum Tabernaculum in propria Cappella, ubi asservari solet. Tum extinguuntur cerei Altaris, et tres candelae in cuspide Arundinis positae, quae ulterius non accenduntur, et Arundo ipsa omnino est amovenda. Extinguitur quoque Cereus Paschalis, qui tamen remanet in suo Candelabro, et regulariter accendi debet ad Laudes, Missas, et Vesperas solemnes in triduo Paschatis, in sabbato in albis, et Dominicis diebus usque ad Ascensionem (2); quo die cantato Evangelio, extinguitur. Ad matutinum, et in aliis diebus, et festivitatibus etiam solemniter celebratis non accenditur, ni-

1) R. Miss. R. ut in die. — Bauldry. ibid. n. 20. — Biss. ibid. §. 8.

2) Castald. L. III. Sec. IX. c. VIII. n. 3. et 4. — Bauldry. supr. n. 24. — Mem. Rit. supr. n. 17. *de Vesp. Sabb. S.* a n. 1. ad 6.

si adsit consuetudo, ut ex decretis infra citandis n. 231. Verum in Missis, in quibus adhibetur color violaceus, vel niger, prout sunt Missae majorum, minorumque Litaniarum, et Defunctorum minime accenditur; etiamsi solemniter decantentur.

Sequuntur aliqua Decreta super hac sacra Actione.

221. Sabbato Sancto non sunt pulsandae Campanae majores antequam signum datum fuerit in Cathedrali, seu Matrice Ecclesia. S. R. C. d. 14. Nov. 1615. *Venosina*. Gard. (Ed. 3.) n. 514. S. R. C. d. 3. Jun 1617. *Syracusana*. Gard. (Ed. 3.) n. 540. S. R. C. d. 26. Mart. 1639. *Senogallien*. Gard. (Ed. 3.) n. 1137.

222. Regulares non possunt pulsare campanas in Sabbato Sancto antequam pulsentur in Ecclesia Matrice. S. R. C. d. 24. Maii. 1664. *Calagurit*. Gard. (Ed. 3.) n. 2273. ad 10.

123. Non licere Regularibus pulsare campanas die Jovis sancti post silentium illarum Parochialis, et die sabbati sancti ante earumdem pulsationem. S. R. C d. 19. Decemb. 1671. *Savonen*. Gard. (Ed. 3.) n. 2574. ad 6.

224. Prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto non est de juribus Parochialibus prout jacet, sed spectat ad Ecclesiam digniorem, ad formam Constitutionis Leonis X. S. R. C. d. 10. Dec. 1703. *Urb. et Orb.* Gard. (Ed. 3.) n. 3670. ad 9.

225. In Ecclesiis, ubi deest numerus Cantorum non potest Celebrari in Sabbato Sancto unica Missa privata, loco Solemnis, ut in eisdem Ecclesiis fiat benedictio tam Luminis et Cerei, quam Aquae, attentis maxime Decretis generalib. d. 11. Febr. 1690. Gard (Ed. 3.) n. 2202. et d. 11. Mart. 1690 Gard. (Ed. 3.) n. 3204. prohibentibus celebrationem Missarum privatarum, et unicam tantum Missam Conventualem una cum Officio Sabbati Sancti celebrari praecipientibus. S. R. C. d. 13. Jul. 1697. *Januen.* Gard. (Ed. 3.) n. 3433. ad 1. Permittitur tamen a Benedicto XIII. in suo parvo Caeremoniali pro Ecclesiis tantum ruralibus.

226. Sacrae Imagines Altarium manere debent velatae usque ad hymnum Angelicum Sabbati Sancti juxta alias decreta. S. R. C. d. 22. Jul. 1848. *in Florent.* Gard. (Ed. 3.) n. 3965. ad 3.

227. An in Sabbato Sancto retinenda est consuetudo Tiburtinae Cathedralis scilicet post benedictionem ignis, alius Diaconus diversus ab eo qui Celebranti assistit, et totius Missae Officio debet inservire, albis vestibus indutus, debitis caeremoniis Arundinem accendit, et ad legile procedit ad cantandum *Exultet*: quo cantato, sacras vestes deponit, et postea ad Chorum cum aliis revertitur. An talis usus est licitus?

S. R. C. resp. *Negative*, *sed consulendum SS. juxta votum.* Die 27. Mart. 1824 *in Tiburtin.* Gard. (Ed. 3.) n. 4603. ad 2. Et S. Leo XII. attentis circumstantiis in casu de

quo agitur, benigne annuit pro Indulto servandae consuetudinis; contrariis non obstantibus. Die 30 Mart. 1824. *in una Tiburtina* ad 2.

Notandum tamen cum clariss. Gardellinio in suis Adnotat. ad Decretum hac de re editum a S. R. C. sub die 12. Novemb. 1831. *Pisana* (Ed. 2.) n. 4523. ad 8. quod peculiaris haec Tiburtinae Ecclesiae Cathedrali, ob peculiares rationes, concessa indulgentia generalem non constituit, dispensationem, adeo ut liberum cuique sit ea uti.

228. Licet in Sabbato Sancto sacram Eucharistiam Fidelibus distribuere, et per camdem sumptionem sacrae Communionis praeceptum Paschale adimpleri. S. R. C. d. 22. Mart. 1806. *in una Tiphernen.* Gard. (Ed. 2.) n. 4499.

229. Intra Missae actionem Sabbati Sancti non licet Clero et populo sumere Eucharistiam; sed, expleta Missa, possunt Fideles cum particulis praeconsecratis, seu per modum sacramenti communicari. S. R. C. d. 7. Sept. 1850. *in Veronen.* ad 15. (Ex. Collect. decretor. S. R. C. Neap. Edita cura Bibliothecae Catholicae scriptorum 1855. *Tit. Communio n. 3. pag. 61.*

230. Functiones omnes Hebdomadae Sanctae non sunt de juribus mere Parochialibus. S. R. C. d. 10 Dec. 1703. *Urbis et Orbis.* Gard. (Ed. 3.) n. 3670. ad 7.

231. Cereus Paschalis regulariter accenditur ad Missas et Vesperas solemnes in tribus diebus Paschae, Sabbato in albis, et in diebus

Dominicis usque ad Festum Ascensionis D. N. J. C. quo die, cantato Evangelio extinguitur. Ad Matutinum et in aliis diebus, et solemnitatibus, etiam solemniter celebratis, non accenditur, nisi adsit consuetudo, quod durante tempore Paschali accendatur, quae servanda esset. S. R. C. d. 19 Maji 1607. *in Placentina.* Gard. (Ed. 3.) n. 351. ad 13.

232. Pro coronide hujus capituli quaestionem in medio proponamus de Cereo semel benedicto , an licite iterum benedici possit alia vice quoad partes non consumptas , uti est praxis multarum Ecclesiarum (*quae adhuc in solido statu permanet.* Cavaler. To. IV. c. XXI. de Sabb. S. Decr. IV. in ord. 345.§. XII. circa finem) in quibus passim Cereus anni praeteriti iterum sequenti anno benedicitur. Hoc posito quaeritur: Utrum Cereus semel benedictus in Sabbato Sancto licite iterum benedici possit alia vice ? Propositam quaestionem ut paucis dicam, resolvunt Doctores affirmativam sententiam tenentes. Cum enim Praeconium Paschale non sit veri nominis benedictio vel consecratio , sed potius praedicatio Laudum Cerei, quod maxime patet ex verbis ejusdem *Cerei hujus laudem implere perficiam.* Hinc ad illum actum tantum , seu pro usu Cerei in illo anno tantum est benedictio , in quo fit: ea propter potest Cereus idem impune quotannis benedici , quin necesse sit eum vel in aliqua sui parte mutare , nova scilicet superaddita cera. Exemplum habes ad rem in

Cappella Papali circa benedictionem *aureae rosae*, quae fit a summo Pontifice in Dominica *Laetare* seu quarta Quadrag. ante Missam , quaeque postea dono datur alicui magno Principi praesenti , quod si fieri nequit, asservatur, et sequenti anno iterum eadem rosa benedicitur. Ita Joannes Moroni testatur in suo Opere novissime inscripto: *Cappelle Pontificie P. I. §. X. n. 10.* Idem fit cum Pileo et Ense quod quotannis in eadem Cappella a Pontifice benedicitur in Vigilia Nativitatis Domini ante Matutinum sequentis diei quod in ejusdem nocte persolvitur. Videsis quae satis superque pro suo more apte disseruit Illmus D. Andreas Ferrigni de Pisone Can. Theol. Metrop. Eccl Neap. in suo Supplemento italice edito , in quo adnotationes quamplures ad Dictionarium Liturgicum R. D. Joannis Diclich congessit. (*V. Sabb. S.*)

CAPUT XX.

DE PASCHATE (1) USQUE AD ASCENSIONEM DOMINI.

233. Praeter ea quae in Rubricis tum Missalis, tum Breviarii clara sunt, Superior hoc die Sancto Paschae decet ut Matutinum solemniter ante Auroram (quo tempore nimirum resurrexisse a mortuis Christum credimus,) celebretur. Ad Laudes et Vesperas Celebrans intonat solemniter antiphonam : *Haec dies etc.* Ad primam vero dum Lector Martyrologii annuntiat hodie tono solemniori solemnitatem Paschalem dicens : *Haec dies, quam fecit Dominus etc.* omnes in Choro stant nudo capi-

1) Nobilitas anni, mensis decus, alma dierum, splendor horarum est Pascha, *ex Rupert. lib. 6. cap. 26.* Pascha, idest transitus ex vi nominis haebraei apud Isid. lib. 1. cap. 21. vel Passio a graeco verbo Πασχω, *patior* (a quo πατημα το, Pascha, idest *passio*) *apud Innocent. III.* in sermon. vel est compositum ex haebraeo et graeco per divinam dispositionem, quia in passione Christi cum ipso et nos transivimus de morte ad vitam, ita *August. cit. a Durand. lib. 6. cap. 86.* Celebratur etiam semper ex decreto sacri Concilii Nicaeni in Dominica, quae proxime succedit XIV. Lunae primi mensis qui apud Hebraeos ille est cujus XIV. luna vel cadit in diem verni Aequinoctii, quod die 21 mensis Martii contingit, vel propius ipsum sequitur. *Tit. de Fest. Mobil. ante Rub. gen. Brev. R.*

te: cum vero postea dicuntur Kalendae, et annuntiatur Martyrologium sequentis diei, omnes sedent more solito. In fine Laudum et Vesperarum tantum dicitur: *Benedicamus Domino, Alleluja, Alleluja;* et respondetur: *Deo gratias, Alleluja Alleluja,* usque ad Vesperas Sabbati in albis inclusive.

234. Post tertiam, Missa solemnis ab ipso Superiore celebrari debet: diebus vero subsequentibus Sacra operabuntur Sacerdotes Graduati. Ante Missam fit aspersio Aquae lustralis toto Paschali tempore ab ipsomet Celebrante (ut in decreto infra dicemus) qui in medio Ministrorum super infimo Altaris gradu genuflexus (1) in cantu dicit: *Vidi aquam*, (2) et reliqua prosequitur, ut moris

1) Rub. Miss. R. Tit. Ord. ad faciendam aquam bened.

2) Sacerdos hoc tempore deferens Viaticum, domum ingrediens dicere debet : *asperges etc.* et non *Vidi aquam etc.* nulla habita ratione Paschalis temporis, ex decr. S. R. C. d. 11. Febr. 1702 *Leirien.* Gard. (Ed.3.) n. 3614 ad 7. Et si Eucharistia ministratur extra Missam, peracta communione, dicitur antiphona: *O sacrum convivium etc.* cum oratione *Spiritum nobis Domine etc.* quae eadem est ac oratio Postcommunionis diei Paschae et non oratio *Deus qui nobis etc.* quae dicitur extra tempus Paschae, ut in Rit. R. et decr. S. R. C. *in Leirien.* nuper allato, cum stola coloris officio convenientis illius diei. S. R. C. d. 12 Mart. 1836 *Trident.* Gard. (Ed. 3.) n. 4777. ad 13.

est. Postea inchoat de more Missam solemnem; sed *Ite missa est* dicitur cum duplici *Alleluja* usque ad Sabbatum in albis inclusive ; non tamen in Missis, quae cum paramentis violaceis forte debent cantari, puta Litaniarum majorum, seu pro publica necessitate ; nec in Missa quacumque votiva solemni pro re gravi. Item infra hanc octavam Paschatis, occurrente festo simplici in primo triduo ejusdem, nulla fit commemoratio, in diebus vero sequentibus omissa altera Missae oratione Ecclesiae vel pro Papa, quae dicitur sub sua conclusione post orationem diei, fit tantum commemoratio de simplici (1).

235. Sacerdos aliquis Stola alba, vel etiam Cotta paratus benedicit in mensa Agnum Paschalem, Ova, Panem etc. prout in Rit. Rom. et in fine ter aspergit ea absque incenso.

236. Toto tempore Paschali in festis Sanctorum Apostolorum et Evangelistarum, nec non unius aut plurimorum Martyrum, Officium per-

Quando vero defert Viaticum ad infirmos semper cum stola coloris albi. Aqua benedicta singulis saltem hebdomadibus renovetur Caerem. Ep. L. l. c. VI. n. 2. Quoad aquam benedictam optandum est ut servetur laudabilis consuetudo illam qualibet hebdomada renovandi. Ita S. R. C. d. 7 Sept. 1850. *Parisiens*. Collect. Decr. S. R. C. Neap. edit. cura Biblioth. Cathol. Scriptor. 1855 Tit. Aqua benedicta. §. l. Nota (*)

1) Rub. Miss. R. ut in Dominica Resurrect. et Fer. IV. infra oct. Paschae.

agitur ut in Breviario tempore Paschali. In festis vero B. M. V. Confessorum Pontificum et non Pontificum, Ss. Virginum et non Virginum, item Dedicationis Ecclesiae, aliorumque peculiari Officio pro tempore Paschali haud gaudentium, Officium celebratur prout aliis temporibus, hoc addito, quod Invitatorio, Antiphonis, Versibus, et Responsoriis Lectionum unum superadditur *Alleluja*, si desit (1); Responsoriis vero brevibus horarum, duplex, in versiculis unum; praeterquam in ℣. ad preces Primae et Completorii, quando dicuntur (2). Tres psalmi cujuslibet Nocturni sub prima tantum Antiphona ejusdem absolvuntur, servato semper ritu duplici, vel semiduplici festi occurrentis (3). In Officio parvo B. M. V. non additur *Alleluja* Invitatorio, neque Antiphonis, neque Versibus, neque Responsoriis (4). In semiduplicibus ad Laudes et Vesperas (exceptis diebus infra aliquam octavam) fit commemoratio tantum de Cruce, quae habetur in feria 2. post Dominicam in albis, omissis tunc aliis suffragiis Sanctorum per totum Paschale tempus (5). Ad Primam dicitur Symbolum *Quicumque* usque ad Ascensionem, quando fit officium Do-

1) Rubr. posita ante commune plurimor. Mart.
2) Rubr. gen. Brev. Romano-Seraph. Titul. XXVIII. n. 5.
3) Rub. gen. ejusd. Brev. Tit. XXI. n. 6.
4) Rubr. gen. ejusd. Brev. Tit. XXVII. n. 2.
5) Rubr. gen. ejusd. Brev. Tit. VIII. n. 5.

minicae; et in ℟. brevi quotidie: *Qui resurrexisti etc.* nisi aliter notetur. In fine omnium hymnorum a Dominica in albis usque ad Ascensionem dicitur: *Deo Patri sit gloria, et Filio, qui a mortuis etc.* etiam in festis Sanctorum eodem tempore Paschali occurrentium, dummodo hymni sint ejusdem metri nec habeant ultimum versum proprium, qui non mutatur (1). Item in Missis tam festivis quam votivis additur in fine Introitus, duplex *Alleluja*, nisi jam adsit. Post Epistolam, omisso Graduali et Tractu, duo dicuntur versus cum quatuor *Alleluja*; et in fine Offertorii et Communionis, unicum ponitur *Alleluja* (2).

237. Quoad vero hymnos, responsoria, antiphonas et alias preces quascumque, quae dicuntur extra divinum officium: dicuntur ut per annum, non vero secundum leges, quas in divino Officio vel sequuntur vel sequerentur, si in eo locum haberent. Excipitur ℣. *Panem de Coelo etc.* cum ℟. *Omne delectamentum etc.* quibus in sola expositione et repositione Ven. Sacramenti, et post administratam Fidelibus eamdem SS. Eucharistiam additur *Alleluja* toto tempore Paschali; ac etiam per totam octavam Corporis Christi tantum. (3)

238. Hymnus *Veni creator Spiritus*, qui et-

1) Rub. gen. ejusd. Brev. Tit. XX. n. 6.
2) Rub. Miss. R. Sabb. in albis.
3) Rub. pecul. ejusd. Brev. ad T. XXXVII. n. 237.

si conclusionem *Deo Patri etc. Et Filio, qui a mortuis etc.* ratione temporis Paschalis in officio Pentecoste habet; cum eadem tamen conclusione extra divinum Officium (ut in Capitulis, in Congregationibus, in induendis Novitiis etc.) dicitur; sed toto eodem tempore Paschali dumtaxat. Alias vero nec ista, nec alia conclusio etiam infra aliquas octavas habentes conclusionem propriam, adhibetur; sed haec: *Deo Patri sit gloria, Ejusque soli Filio, cum Spiritu Paraclito, Nunc, et per omne saeculum.* (1)

239. In Praefatione Paschali a die Paschae ad Sabbatum usque in Albis inclusive, dicitur: *in hac potissimum die*, et deinceps dicitur: *In hoc potissimum etc.* usque ad Ascensionem exclusive, nisi aliter notetur (2).

240. In hoc tempore Paschali, in die S. Marci Evangelistae et triduo ante Ascensionem, de praecepto recitandae sunt etiam privatim Litaniae Sanctorum cum suis precibus et orationibus, post Laudes diei; et quidem flexis genibus et ritu simplici. Quae Litaniae anticipari nequeunt simul cum Matutino die antecedenti, ut in decreto citando sub. n. 255. sed dicendae sunt ante Pri-

1) Rubr. pecul. ibid. n. 241 — S. R. C. d. 7. April 1832. *Ariminen.* Gard. (Ed. 3.) n. 4681 ad 2— S. R. C. d. 28. Jul. 1832. *Brixien.* Gard. (Ed. 3.) n. 4694. ad 4 — S. R. C. d. 3. Aug. 1839. *Piscien.* Gard. (Ed. 2.) n. 4713. ad 11.

2) Missal. R. pr. loc. de *Praef.*

mam (1). In his insuper diebus pro locorum consuetudine Supplicatio peragitur vel cum Clero saeculari, vel infra domesticos parietes ritu et caeremonia ut infra capite sequenti.

241. Qui Processioni non intersunt, aut Litanias cum aliis non recitant vel indebito modo, tenentur eas privatim dicere flexis genibus, cum sint pars notabilis officii hujus diei. Si cantetur Missa Rogationum, Dalmaticae aliaque Paramenta violacea adhibentur. Dicitur Praefatio Paschalis in tono feriali cum *communicantes et hanc igitur* propriis ejusdem Paschatis, si infra ejusdem octavam occurrat, attamen non dicitur *Gloria* nec *Credo*, nec genuflectitur in Choro ad orationes, neque Cereus Paschalis accenditur, vel accensa tenentur intortitia post elevationem Calicis.

242. De Feria tertia Rogationum, utpote Feria minori (quod patet praesertim ex Tabella initio Brev. R. posita post Rub. gen.) in qua etiam de Simplici fieri potest officium; si aliud non occurat Festum illo majus (2), imo etiam de illo quod ab Apostolica Sede concessum est per Hebdomadam velMensem ex decreto S.R.C.d.20 Mart.1706. *Urb.et Orb.* Gard. (Ed. 3.) n. 3741. ad 1. Nulla fit commemoratio in Officio, sed tantum in Missa cum oratione *Praesta quaesumus....*, non vero Domini-

1) Rub. pec. ejusd. Brev. Tit. XXXVII. n. 237.
2) Rub. gen. Br. R. Tit. V. n 1.

cae praecedentis, *Deus a quo bona* (1) et quidem post commemorationem Simplicis, si occurrat: (2) exceptis duplicibus primae classis, in quibus nulla fit commemoratio ne in Missa quidem; in duplicibus vero secundae classis in Missa privata tantum (3). Ejusdem tamen Feriae non legitur ultimum Evangelium, sed S. Joannis. Ubi vero ratione Processionis duae cantantur Missae, illa de Rogationibus post Nonam dicetur ut heri cum iisdem orationibus, nimirum *Praesta quaesumus . . . Concede . . . . , et Ecclesiae tuae . . . . , vel Deus omnium Fidelium.*

243. Si in Feria quarta Rogatiunum occurrat Festum primae classis, tunc nec in Officio, nec in Missa etiam privata fit aliquid de hac Vigilia, neque de eadem cantatur Missa (4). Si autem occurrat quodcumque aliud duplex vel semiduplex etiam ex translatis, fit Officium de eo cum nona lectione de Homilia Vigiliae, ejusque commemoratione ad Laudes et Missas; deinde, excepta Missa solemni secundae classis, fit etiam commemoratio festi Simplicis, si occurrat, ac demum Rogationum, scilicet *Praesta quaesumus*, de quibus tamen nihil in Officio, et in fine Missae legitur E-

1) Rub. Miss. R. ut in Lit maj. Quod est peculiare in hac die. Gav. P. IV. Tit. XI. n. 13.
2) Gav. ibid. n. 14.
3) Tetam. not. in fer. 3 Rogat. n. 30.
4) Merati P. IV. Tit. XI. §. XIV. in Gav. n. 14.

vangelium de Vigilia (1). In Ecclesiis vero, ubi plures cantantur Missae, prima dicitur de Festo post Tertiam, secunda de Vigilia post Sextam in Paramentis albis cum *Gloria* sine *Credo*, et ubi ratione Processionis cantatur tertia Missa de Rogationibus, post Nonam, ut heri (2). Si autem occurrat alicubi dies infra octavam, tunc Officium quidem fit de die illa infra octavam, sed Missa dicitur de Vigilia Ascensionis cum secunda oratione Octavae, et tertia *Concede*. Verum de die octava semper dicitur Missa, quod idem servatur si dies illa Octava, aut infra Octavam incidat in feriam secundam Rogationum. Si denique in hac Vigilia Ascensionis nullum occurrat Festum novem lectionum, tunc Officium et Missa dicuntur de eadem, cum commemoratione Simplicis forte occurrentis.

Sequuntur aliqua Decreta super hoc tempore Paschali

244. In suffragiis Sanctorum per annum dum fit de aliquo sancto, cujus antiphonae habent in fine *Alleluja*, retinent, quoties hujusmodi antiphonae contineant verba, quae exprimant gaudium, victoriam, et similia: alias secus. S.R.C. d. 29. Nov. 1738. *Carthagenen.* Gard. (Ed. 3) n. 4080. ad 4.

245. Tempore Paschali non additur *Alleluja*

1) Merati ibid.
2) Merati sup. cit.

antiphonis, et aliis extra Officium de praecepto, v. g., in antiphonis *Tota pulcra es, Maria* quae in Sabbato in nostra Religione, canitur post Litanias, nec ad Officium parvum B. M. V. Die 13. Febr. 1666. *Decreta S R. C. Fratr. Min. quae ad Officium attinent.*Gard.(Ed. 3) n. 2364. ad 7.

Superiores Rugulares, et non Parochi, debent exquirere a suis familiaribus, eisque actu inservientibus, an praecepto Paschali communionis satisfecerint. Sic S. Congr. Conc. ex Bullar. Ord. Praedicat. tom. *7. pag. 322.* Constit. 69. Ferr. *Pasch. Comm.* n. 35.

CAPUT XXI.

DE PROCESSIONIBUS LITANIARUM (1) TUM MAJORUM IN DIE S. MARCI, CUM MINORUM IN TRIDUO ANTE ASCENSIONEM DOMINI.

246. Religiosi universi hora statuta mane in Ecclesia congregantur. Hebdomadarius in Sacristia induitur Amictu, Alba, Cingulo, Stola,

1) Quamvis Litania, graeca vox λιτανεια, latina *rogatio, preces*, nihilominus usu receptum est, ut Litaniae nomen usurpetur pro certa quadam Ecclesiasticae supplicationis specie, qua Dei misericordiam, Sanctorumque patrocinium invocamus ob aliquas calamitates. Nec alia differentia intercedit inter Litanias majores in festo S. Marci, et minores quae fiunt triduo ante Ascensionem; nam Litania *major* appellabatur antequam Rogationes receptae

et Pluviali, vel saltem Cotta et Stola violacei coloris; et si assistant ei sacri Ministri Dalmaticam cum Stola, et Tunicellam ejusdem coloris, sine Manipulis accipiunt; deinde praevia Cruce ab aliquo Caenobita superpelliciato delata inter duos Ceroferarios, candelabra cum cereis accensis deferentes ad Altare majus tecto capite procedit; ubi praemissa inclinatione vel genuflexione in plano, in infimo gradu genuflectit. Caeteri vero de Choro in propriis locis, et omnes contrito et humili corde primum paullisper precentur (1). Deinde stantibus omnibus, Cantores antiphonam *Exurge* ut in Rit. ibid. cum versiculis concinunt; qua repetita, iterum genuflectunt omnes, et duo Clerici, vel Cantores cottis induti (vel sine) ante ipsum Altare majus genuflexi, devote Li-

essent ab Ecclesia Romana, quod sub Leone III. factum est anno 801. Adeo ut Litania *major* instituta fuit a Gregorio Pp. propter imminentem caelestis irae mucronem, ait *Ordo Roman.* hoc est, pestem inguinariam; quia obibant multi, etiam oscitando et sternutando, morte repentina: unde et oscitantes digito super os formabant signum Crucis, et sternutantibus dicebatur: *Deus te juvet*, qui mores ad nos usque devenerunt, Durand. lib. 6. cap. 202. Litaniae vero *minores* Rogationum institutae sunt ob peccata, pacem, pestem, conservationem frugum, et caeteras necessitates.

1) Rubr. Rit. R. Tit. Ord. servand. in Lit. Maj. process.

tanias Sanctorum cantare incipiunt, Choro respondente.

247. Ubi decantatum fuerit ℣. *Sancta Maria*, tunc et non prius assurgunt omnes, ac ordinatim, prout dictum fuit n. 41. procedunt per claustra et septa Monasterii Litanias ritu simplici prosequentes, et interim pulsantur campanae. In Ecclesiam reversa Supplicatione recta pergunt Acolythi et Crucifer ad Sacristiam, et Clerus in Chorum. Celebrans autem cum Ministris in imo Altaris gradu genuflectit. Tum iidem Cantores ante Aram, ut supra genuflexi, Litanias ad finem perducunt, Psalmum inde *Deus in adjutorium* alternis cum Choro dicentes. Quo expleto, Sacerdos adhuc genuflexus ex libro a Ministris sustentato preces in cantu subdit, mox orationes stans prout in Breviario, deinde peracta Altari debita reverentia discedit.

248. Si cum Clero saeculari ad has Supplicationes celebrandas convenire soleant Religiosi nostri, tunc illa sufficiet Processio, quin alia intra domesticos parietes peragatur (1).

249. Ad imitationem harum Processionum dirigi possunt et aliae extraordinariae, quae

1) Optabile est ut peragatur haec Supplicatio ab omnibus Ecclesiis nostri Ordinis quando ad illem Fratres nostri non intersunt cum Clero saeculari: et hoc bene faciunt sectando Spiritum Ecclesiae, quae hanc Supplicationem instituit ad excitandos Fidelium animos ad poenitentiam, ac Dei misericordiam consequendam, uti superius diximus.

fiunt quandoque vel permissae ab Ordinario ad petendam pluviam, vel serenitatem, ad repellendam tempestatem, penuriam, famem, mortalitatem, pestem, bellum etc. additis aliis precibus et orationibus in Rit. Rom. assignatis: ubi notandum ℣℣. *A peste, fame*, et alios necessitati congruentes bis repetendos esse ante ℣. *Per Mysterium Sanctae Incarnationis tuae:* illos autem: *Ut a pestilentiae flagello... Ut fructus terrae dare*. Post ℣. *Ut omnibus fidelibus Defunctis*. Porro in his Processionibus poenitentiae causa institutis, hymni vel cantica laetitiae non dicantur. Si vero celebrandae sunt Supplicationes ex causa laetitiae; et pro gratiarum actione, aut etiam pro translatione solemni insignis Reliquiae, ordinari possunt ad instar Processionis SS. Sacramenti de qua videatur Bauldry de his Processionibus fuse pertractans part. 2. cap. 15 et 16.

Sequuntur aliqua Decreta super hoc Capitulo.

250. Si Processio Litaniarum Majorum terminetur ad Ecclesiam S. Marci, cantetur ibi Missa de S. Marco, non vero de Rogationibus. S. R. C. d. 23. Maji. 1603. *Hispalen.* Gard. (Ed. 3.) n. 194.

251. Occurrente festo S. Marci in die Dominico, in Missa Rogationum non dicitur *Credo*, quia est Missa ferialis. S. R. C. d. 25. Sept. 1688. *Mutinen.* Gard. (Ed. 3.) n. 3170.

252. Occurrente festo S. Marci infra octa-

vam Paschae, in Missa Rogationum non est dicendum *Credo*. S. R. C. d. 5. Jul. 1698 *in Collen*. Gard. (Ed. 3.) n. 3477 ad 17.

253. Si festum S. Marci occurrat in die *Paschatis*, Processio cum Litaniis transfertur in feriam tertiam sequentem juxta Rubricam particularem Missalis in festo S. Marci d. 25. April. S. R. C. d. 25. Septemb. 1627 *Urbis*. Gard. (Ed 3.) n. 709. Si vero praedictum festum occurrat in alia quacumque die infra ejus octavam, semper die illa fit Processio. Merat. P. IV. Tit. XI. §. X. in Gav. n. 10— Gav. Tabell. XXXIV. mens. April. d. 25. 26.

254. In Litaniis Sanctorum Tempore mortalitatis, pestis, et belli post. ℣. *A fulgure, et tempestate*, addi debent ℣℣. *A flagello terraemotus . . . Libera etc.* et *A fame, peste, et bello* . . . S. R. C. d. 11. Sept. 1847. *Veronen*. Gard. (Ed. 2.) n. 4950. ad 1.

255. Litaniae Sanctorum de praecepto recitandae in festo S. Marci et in triduo Rogationum, anticipari non possunt, atque recitari post Matutinum et Laudes die antecedenti, ab iis qui Processioni sequentis diei non interveniunt. S. R. C. d. 15. Jun. 1776. *Urbis* Gard. (Ed. 3.) n. 4378 ad 16.

256. Interrogata S.R.C. « An in Litaniis brevi-
« bus in Ordine commendationis animae, quando
« preces recitantur pro muliere, variandum
« est genus, sicut placet Cevalieri, t. 3. c.
« 19, decr. 2. n. 15. et etiam numerus quum
« recitantur pro pluribus; ita et in oratio-
« nibus, et precibus ejusdem commendationis

» similiter fieri debet variatio, ubi sensus eam » exposcit. » Resp. *Affirmative*. d. 12. Aug. 1854. *Dubior.* ad 64. Collect decr. cura Biblioth. Cath. scriptor. edit. Neap. 1855. pag. 351. Nota (*).

257. Si in dictis feriis fiat Processio, celebranda est de praecepto Missa Rogationum S. R. C. d. 12. Mart. 1836. *Tridentin.* Gard. (Ed. 3.) n. 4777. ad 10.

258. Regulares non tenentur ad plures Missas cantandas, quia non sunt Ecclesiae Collegiatae. S. R. C. d. 13. Febr. 1666. *Fratr. Min.* Gard. (Ed. 3.) n. 2362 ad 6.

259. Cum Regulares non teneantur ad plures Missas eadem die, ex decreto praecedenti, quaeritur, an in die S. Marci ac in feriis Rogationum, teneantur dicti Regulares cantare Missam conventualem de Rogationibus, seu potius de Festo currente, cum commemoratione Rogationum? S. R. C. resp. *In duplicibus 1. et 2. classis canendas esse duas Missas; in reliquis dilata.* Die 16. Feb. 1781 *Ord. Carmel. Excalc.* Gard. (Ed. 3.) n. 4401. ad 1.

260. In Ecclesiis Regularium habentibus claustra fiant Processiones intra claustra tantum. Si vero non habeant claustra, fiant prope muros Ecclesiae, sive exeundo ab una porta, et intrando per aliam Ecclesiae portam; sive per eamdem. S. R. C. d. 26 Feb. 1628. *Hispalen.* Gard. (Ed. 3.) n. 723.

261. An B. M. V. sacra imago deferenda sit sub Baldachino? S. R. C. resp. *Sacram imaginem non esse deferendam sub Baldachino.*

d. 22. Aug. 1744. *Ripana.* Gard. (Ed. 3.) n. 4164. ad 2.

Episcopus Vintimilien. innixus S. R. C. decreto generali d. 27 Maji. 1828 edito, praecepit ne in sua dioecesi imago sancti Secundi M. Patroni Civitatis ejusdem Reliquiis decorata sub Baldachino in posterum processionaliter deferretur : cumque Cives vehementissime optarent ut Episcopus ab imperatis recedat, petiit declarari: 1. An attenta vetustissima contraria consuetudine debeat suum retractare Decretum. 2. An saltem id debeat ut morem gerat ardentissimo populi desiderio. 3. An saltem in casu quo obmurmurationes contra ipsum in odium excrescerent. 4. Utrum id possit tolerare dissimulando? S. R. C. resp. *In omnibus Negative.* d. 16. Mar. 1833. *Vintimilien.* Gard. (Ed. 3.) n. 4710. ad 1. 2. 3. 4.

262. Beatorum Reliquiae in Processionibus minime circumferantur. S. R. C. d. 27. Sept. 1659. *in Decret. gener.* coram Alexandro VII. Gard. (Ed. 3.) n. 2002. ad 11. Possunt tamen exponi in Altari Clemens XI. Constit. 82. num. 11.

CAPUT XXII.

DE ASCENSIONE DOMINI USQUE AD FESTUM SS. CORPORIS CHRISTI.

263. Festum Ascensionis Domini, cum sit privilegiatum supra quodcumque aliud, etiam Patroni et Tituli Ecclesiae, Dedicationis ejusdem fit semper de eodem; Officium dicitur ut in proprio de tempore cum antiphonis ad unumquemque psalmum. Officium vero de Festis infra hanc Octavam usque ad Pentecosten occurrentibus fit ritu Paschali cum una antiphona pro quolibet Nocturno .... Dicto Evangelio hodierno, extinguitur Cereus Paschalis (1) nec ulterius accenditur, (nisi in Sabbato Pentecostes ad Benedictionem Fontis (2), in iis scilicet Ecclesiis in quibus adest Fons Baptismalis), et ideo cum suo Candelabro amovetur ut dictum est in Sabbato Sancto. Ad Vesperas feriae sextae post octavam Ascensionis inclusive, ad festum usque SS. Trinitatis pariter inclusive, suspenduntur Octavae particulares.

264. Vigilia Pentecostes cum sequenti Octava ita est privilegiata, ut Festum quodcumque infra hoc tempus occurrens transferri debeat post Festum SS. Trinitatis. Ad Offi-

1) Ad repraesentandum Christi discessum ab Apostolis. Gav. P. IV. Tit. XI. n. 15.

2) Rub. Miss. R. ut in die.

cium hujus Sabbati usque ad Nonam inclusive adhibetur color albus, postmodum ad Prophetias et Litanias usque ad Missam inclusive color violaceus; deinceps vero rubeus, qui et in Missis privatis quoad vestes Celebrantium est adhibendus, licet celebrent ante Nonam. Hora competenti sacra peragitur Actio respective ut in Sabbato Sancto; unde vide quae ibi fusius dicta sunt. Missae vero privatae, omissis prophetiis, earumque orationibus ac Litaniis, dicto de more psalmo *Judica me*, ac facta Confessione etc. absolute incipiunt ab Introitu *Cum Sanctificatus fuero*. Unica dicitur oratio, etiamsi occurrat festum simplex, et de eo facta sit commemoratio in Officio.

265. Vesperas, Matutinum, Missamque solemniter celebrat Superior in die PENTECOSTES (1), prout diximus de festo Paschatis; diebus vero subsequentibus Patres Graduati. Celebrans, dum intonat ad Vesperas: *Veni Creator* . . . , erectus stat, et jungit, extendit, et elevat manus, et caput Cruci inclinat, deinde genuflectit; ceteri autem ab initio intonationis usque ad *Creasti pectora* inclusive genua flectunt, (2) ut ipse Celebrans. Ad Tertiam vero ad Sabbatum us-

1) Pentecostes ex vi graecae vocis Πεντηκοστος. idest quinque decem; ita ut a die Paschatis ad diem usque Pentecosten numerentur quinquaginta dies, ideoque dies quinquagesimus appellatur Pentecostes.

2) V. decr. relatum pag. 68. Nota 2.

que sequente, dictus hymnus intonatur ab Hebdomadario stante, qui postea genuflectit utroque genu cum Choro (1). Dum in Choro canitur in Missa ℣. *Veni Sancte Spiritus* . . . , genua flectunt omnes usque ad finem, etiam Celebrans in Altari, solitis exceptis Cantoribus; in Missis autem privatis unico genu genuflectit.

266. In his quatuor Temporibus Missa solemnis dicitur post Nonam in paramentis rubeis, et cum Dalmaticis; et sicuti non dicitur *Flectamus genua*, ratione temporis Paschatis, ita nec Chorus genuflectit ad orationes, funalia etiam extinguuntur post elevationem Calicis. Post Nonam hujus Sabbati, celebrata Missa, terminatur tempus Paschale (2), et a Vesperis ejusdem usque ad Dominicam primam Adventus in fine Officii, dicitur Antiphona: *Salve Regina*.... flexis genibus, exceptis diebus Dominicis, a primis Vesperis Sabbati usque ad solis occasum ejusdem, etiamsi recitetur Matutinum pro feria 2. ex decr. alibi allato, cap. VIII. pag. 40. n. 74. Si vero Officium Dominicae recitetur post occasum solis, tunc etiam standum est ad Antiphonam finalem. S. R. C. d. 12 Nov. 1831. *Marsor*. Gard. (Ed. 3.) n. 4520. ad 45. Hebdomadarius tamen ad orationem surgit. Ritus idem servatur pro salutatione Angelica, quae ter in die dicitur; nimirum standum a primis Vesperis Sabbati, et-

1) Gav. in Rubr. huj. diei.
2) Rub. Miss. R. ut in Sabb. post Pentec.

iamsi recitentur Vesperae ante meridiem, quod evenit tempore Quadrag. ita ut ritus standi incipit post recitatas Vesperas Sabbati in Choro. Quando autem Antiphona finalis B. M. V. dicitur stando, simili modo scilicet stando recitantur, *Pater*, *Ave*, *et Credo* in fine Completorii.

267. Festum SS. Trinitatis (1) occurrit semper in Dominica prima post Pentecosten, nec unquam transfertur, etsi occurrat alicubi Festum primae classis. De Simplici in eam incidente fit commemoratio in Laudibus tantum, et Missis privatis. Octava SS. Trinitatis, ubi est Titularis, cum non sit octava privilegiata, feria sexta et Sabbato infra illam, celebrandum est Officium de die secunda et tertia infra octavam Corporis Christi cum commemoratione SS. Trinitatis. S. R. C. d. 8. Junii 1709. *Bracharen.* Gard. (Ed. 3.) n. 3809. ad 3. Et Symbolum S. Athanasii non est recitandum ad Primam, nisi in die Festi, et ejusdem die tantum Octava, juxta Decr. S.

1) Testatur *Radulph. propos. 16.* a Sancta Romana Ecclesia inductum fuisse tale festum et communiter celebratum, congruenter addit causam *Durand. lib. 7. cap. 14.* quia Natalis Domini fuit festum Patris, cui natus est Filius, Pascha fuit festum Filii, Pentecostes Spiritus Sancti; celebratur ergo statim trium simul Personarum festum SS. Trinitatis. Apud Gav. P. IV. Tit. XII. n. 1.

R. C. d. 5. Maji 1736. *Einsidlen.* Tit. Al. Dub. Gard. (Ed. 3.) n. 4044. ad 13.

268. Solemnitas Corporis Christi, quae feria quinta post festum SS. Trinitatie occurrit, est primae classis, et privilegiata supra quodcumque aliud festum. Occurrente Vigilia S. Joannis Baptistae in die Corporis Christi, anticipatur jejunium. S. R. C. d. 25. Septem. 1638. *Urb.* et *Orb.* Gard. (Ed. 3.) n. 1090. Nec quidquam fit in officio vel Missa de Vigilia S. Joannis, neque de eadem cantatur Missa. (1)

269. In die octava non fit nisi de duplici primae classis occurrente, cetera vero transferantur. Matutinae Laudes per totam octavam pridie recitantur post Completorium ob Indulgentias a Summis Pontificibus concessas iis, qui divinis intersunt Officiis et Missis: quae Indulgentiae valent etiamsi dicatur Officium de Sancto occurrente. Cum in hymno dicitur *Tantum ergo . . .* genuflectunt omnes usque ad *Genitori* (2) exclusive, si coram SS. Sacramento etiam in Tabernaculo incluso, ea verba proferentur, alias minime. Ad verba autem *O salutaris Hostia. . .* non genuflectitur, prout dictum est capite III. pag. 13 in adnotatione. Superiorem in Festo Corporis Christi solemnia peragere convenit.

1) Rubr. Brev. R. Tit. VI. n. 2.
2) V. decr. allatum pag. 68. Nota 2

Sequuntur aliqua Decreta super his festis.

270. Si festum SS. Apostolorum Philippi et Jacobi, vel Inventionis S. Crucis, aut S. Joannis ante Portam Latinam, occurrerit infra octavam Ascensionis, Praefatio in Missa erit de Apostolis vel de Cruce, sed Communicantes de Ascensione. S. R. C. d. 7. Aug. 1627. *Urb. Dubior.* Gard. (Ed. 3.) n. 707. ad 2. Idem dicendum est de aliis Festis, ac de Missis votivis propriam habentibus Praefationem, et infra eamdem octavam celebrandis.

271. Diebus infra octavam SS. Trinitatis, ubi est Titulus Ecclesiae, et in Festis infra dictam octavam occurrentibus, non debet ad Primam dici Symbolum Sancti Athanasii. S. R. C. d. 8. Jun. 1709. *Bracharen.* Gard. (Ed. 3.) n. 3809. ad 2.

272. Diebus sexta et septima infra octavam SS. Trinitatis, ubi est Titularis, faciendum est Officium de die secunda et tertia infra Octavam Corporis Christi cum commemoratione SS Trinitatis. S. R. C. d. 8. Jun. 1709. *Bracharen.* Gard. (Ed. 3.) n. 3809. ad 3.

273. Occurrente Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptistae in die festo SS. Corporis Christi anticipato jejunio Vigiliae praedictae in diem 22 Junii ad formam Constitutionis Urbani VIII emanatae d. 24 Sept. 1638 nihil fit in Officio et Missa de eadem Vigilia. S. R. C. d. 18 Sept. 1706 *Urbis et Orbis* adprobante Clemente XI.

d. 2 Octob. ejusdem anni. Gard. (Ed. 3.) n. 3753.

274. In Officio de die infra octavam Corporis Christi non legitur nona lectio de festo simplici. S. R. C. d 8. Jun. 1669. *Urb. et Orb.* Gard. (Ed. 3.) n. 2483.

275. Si festum Simplex occurrerit eo die, quo fit de Festo duplici infra eamdem octavam Corporis Christi, tunc legitur nona Lectio de eodem festo Simplici. S. R. C d. 12 Sept. 1671. *Nuscana.* Gard. (Ed. 3.) n. 2561. S. R. C. d. 10. Jun. 1693. *Galliarum.* Gard. (Ed. 3.) n. 3301. ad 9.

276. Infra octavam SS. Corporis Christi potest recitari Officium de duplici primae, et secundae classis etiam translato, non autem in die octava, in qua nec etiam potest recitari de duplici secundae classis occurrente. S. R. C. d. 30 Maji 1699. *Ulysbonen.* Gard. (Ed. 3.) n. 3521 ad 2. 3.

277. Infra octavam SS. Corporis Christi, occurrente festo novem Lectionum, non debet omitti nona Lectio festi Simplicis; in Officio enim tantum de octava omitti debet dicta Lectio. S. R. C. d. 4 April. 1705. *Lycien.* Gard. (Ed. 3.) n. 3718. ad 7.

278. In Processione solemni SS. Corporis Christi quando Processio sistit, Sacerdos Celebrans Subdiaconus et Diaconus non debent sedere neque in scamno, neque in sedibus, et-

iamsi deferantur ad ornatum tantum. S. R. C. d.21 Jan. 1690 *Hispalen.* Gard. (Ed.3.) n.3201. ad 4.

279. Missae Conventuales infra octavam Corporis Christi, possunt, ubi est consuetudo, cantari sine Diacono, et Subdiacono, excepto die festo, ac Dominica, et die Octava. S. R. C. d. 15. Mart. 1608. *Alexandrina.* Gard. (Ed. 3.) n. 374. ad 6.

280. In festo SS. Corporis Christi non convenit cantare Cantiones vulgari sermone, etiamsi profanae non sint. S. R. C. d. 21 Mart. 1609. *Abulen.* Gard. (Ed. 3.) n. 405.

281. In benedictione populo impertienda cum Augustissimo Sacramento, permitti potest cantus alicujus versiculi vernacula lingua concepti, sed post ipsam benedictionem. S. R. C. d. 3. Aug. 1839. *Bobien.* Gard. (Ed. 3.) n. 4711. ad 2.

282. In festo SS. Corporis Christi servanda est dispositio Caerem. Episc. lib. II. cap. XXXIII.. *De festo SS. Corp. Christi*, ubi in reponendo SS. Sacramento, nulla fit mentio de ℣. *Dominus vobiscum*, sed jubetur tantum post ℣. *Panem de coelo*, et ℟. *Omne delectamentum*, cantari orationem etc. Et sic servat in Urbe Summus Pontifex, observatur ab omnibus, quidquid alii in contrarium asserant ex Rit. Rom. deducto argumento. S. R. C. d.16 Jun. 1663 — *Granaten.* Gard. (Ed. 3.) n. 2223 ad 7.

283. SS. Eucharistiae Sacramentum in Processione quae fit in festo SS. Corporis Christi deferri debet ab eo, qui Missam celebrat, et idem servandum in Processione, quae fit in die Dominico infra ejus Octavam; non vero deferendum est ab eo, etiam primo, qui non celebravit. S. R. C. d. 23 Mart. 1709 *Compsana*. Gard. (Ed. 3.) n. 3802. ad 4. 5.

284. Si festum S. Joannis Baptistae, sive aliud ex Solemnioribus venerit in die Corporis Christi, Officium S. Joannis singulari privilegio transfertur in sequentem diem a quocumque etiam Officiô impeditam cum commemoratione octavae, sed in secundis Vesperis Corporis Christi fit commemoratio tantum S. Joannis. Caetera vero festa Solemniora occurrentia in dicta die Corporis Christi transferantur infra octavam in prima die non impedita. S. R. C. d. 23 Jun. 1736. *Einsidlen*. Gard. (Ed. 3.) n. 4044. ad 9.

285. Si occurrerit infra octavam Corporis Christi Processionem facere cum SS. Sacramento, consule *de Processione feria V. in Coena Domini c. XI. pag.* 64. mutatis tamen mutandis. Sed de hac Processione SS. Sacramenti extra Claustra in quacumque die infra octavam Corporis Christi Regulares nulla indigent licentia, nec Episcoporum, nec Parochorum, quia privilegium habent cum amplissimis derogatoriis sibi concessum a Gregorii XIII. Constitut. 10. incip. *Cum interdum*, in cujus §. 2. sic expresse habetur: *Universis*,

et singulis Clero et Clericis, ac personis Ecclesiasticis tam Saecularibus, quam Ordinum, Religionum, ac Militiarum Regularibus, ac etiam etc. liceat ipsis tam die ipsa Dominica infra octavam Corporis Christi, quam aliis totius octavae praedictae diebus, Processiones suas celebrare etc. Nec super eo tam ab Ordinis Praedicatorum hujusmodi, quam aliis quibuscumque personis etc. quomodolibet molestari, inquietari, vel perturbari etc. tenore praesentium concedimus, et permittimus; Quam late examinat et propugnat D. Ursaya *tom. 2. part. 1. disceptat. 4.* in cujus summario seu Argumento sic expresse habet. *Vigore Constitutionis 10. S. M. Gregorii XIII. absque ulla Ordinariorum, vel Parochorum licentia possunt omnes tam de Clero saeculari, quam Regulari etiam extra eorum claustra facere processiones in die octavae Corporis Christi, et in aliis diebus ejusdem festivitatis.* Et pluries id novissime statuit *Sacra Congr. Episcopor. et Regular.* et signanter *in Tricarien. Processionis 18. April. 1714. et 4. Mart. 1717. et in Potentina Processionis 13 Maji 1718.* Vide Ferraris *Process.* n. 28. Matthaeucci *Official. Cur. Ecclesiast.* c. XL. n. 9. (1).

1) Indicente Urbano IV. ut aliqui volunt, Processionem SS. Sacramenti ubique celebrandam annuatim quinta feria post octavam Pentecostes, et postea Gregorio XIII. concedente Regularibus tale privilegium, censemus eamdem Processionem praescriptam esse aliquo modo omnibus Regularibus :

286. Nec licet Episcopis in Synodis derogare privilegiis a sede Apostolica concessis Regularium Ordinibus. Benedict. XIV. *De Synod. Dioeces. lib. 7. c. 41. n. 1.* Ferrar. *Regul. art. 2. n. 109. 110.*

287. Regulares, qui gaudent speciali privilegio faciendi dictas Processiones extra claustra sine ulla licentia, tenentur incedere per viam semel electam. S. R. C. d. 14. Nov. 1615 *Pisauren.* Gard. (Ed. 3.) n. 513.

288. Regulares possunt in suis Processionibus uti Pluviali; nec talis usus est signum, seu testimonium Jurisdictionis in utente Sacerdote. S. R. C. d. 21. Mart. 1699. *Ord. Min. S. Franc.* Gard. (Ed. 3.) n. 3511. ad 2.

289. In Processionibus, quae fiunt cum SS. Sacramento, qui incedunt ante illud, in occursu et transitu a latere ejusdem debent facere genuflexionem, dummodo videant praedictum SS. Sacramentum. S. R. C. d. 1. Mart. 1681. *Ord. Can. Regul. Later.* Gard. (Ed. 3.) n. 2943 ad 8.

290. Interrogata S. R. C. « An chorus, » dum recitat horas canonicas ante SS. Sa» cramentum velo coopertum in loco eminen» ti, sedere et tegere caput cum bireto va» leat, vel stare debeat nudo capite, quasi

conveniens est ut praefati Regulares suas processiones cum SS. Sacramento faciant in aliquo die infra octavam Corporis Christi, non obstantibus diversis processionibus in eadem regione, diversis diebus.

» esset sine velo? » Resp. *Poterit Clerus sedere , tecto etiam capite cum bireto, sed laudandus esset, si sederet detecto capite.* d. 10. Septemb. 1796. *Bracharen.* Gard. (Ed. 3.) n. 4469. ad 3.

291. Conveniens est (*audiatur Caer. Episc. lib. II. c. XXXIII. n.* 33.), ut ob reverentiam tanti Sacramenti, omnes praesentes et in Choro assistentes, durante Officio starent semper capite detecto et nunquam sederent. Quod si ob longitudinem Officii praestare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiae detecto capite existente SS. Sacramento super Altari, divinis Officiis assistere.

292. « Colligitur ex decretis S.R.C. non posse « fieri concionem capite tecto ante SS. sacra- « mentum palam expositum, non obstante qua- « cumque contraria consuetudine; hinc quae- » ritur: An id saltem liceat quando SS. Sacra- « mentum est quidem expositum sed velo « serico abductum ? S. R. C. resp. *Nagative* d. 23 Septemb. 1837. *Mutinen.* Gard. (Ed. 2.) n. 4666. ad IV.

Finis primae partis.

INDEX

CAPITUM QUAE HABENTUR IN HAC PRIMA PARTE.

CAPUT.